THESES CONTROVERSAE

QUAS UNA CUM

COMMENTATIONE PHILOLOGICA

QUAE INSCRIPTA EST

DE REPUBLICA PLATONIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XXV MENSIS IUNII A. MDCCCLXXXVII

IN PUBLICO DEFENDET

CAROLUS WESTERWICK

GUESTFALUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:

IOSEPHUS EBLINGHAUS, STUD. PHIL.
IOSEPHUS FRANKE, STUD. PHIL.
PAULUS VERRES, STUD. PHIL.

MONASTERII GUESTF.
EX TYPOGRAPHIA COPPENRATHIANA
MDCCCLXXXVII.

THESES.

I. Gilbertum (Handbuch der gr. Staatsalt. I p. 231 sq.) argumentis comprobasse nego magistratum *τοῦ ἐπὶ τῇ διοικήσει* non exstitisse ante annum 338.

II. Aesch. Eumen. 119 scribendum censeo *φίλοις γάρ ἐσμὲν οὐκ ἐμοῖς προσίκτορες.*

III. Aesch. Eumen. 209 *τί γὰρ γυναικὸς ἥτις ανδρα νοσφίσῃ;* pro *γυναικός* restituendum puto *γυναῖκας.*

IV. Falso Naukkius Trach. 712 sq. *μόνη γὰρ αὐτὸν, εἴ τι μὴ ψευσθήσομαι γνώμης, ἐγὼ δύστηνος ἐξαποφθερῶ* a Sophocle abiudicat.

V. Aristoph. equ. 219 *ἔχεις ἅπαντα πρὸς πολιτείαν ἃ δεῖ* a Bergkio in suspicionem vocatum puto servandum esse.

VI. Aristoph. equ. 459 *ὡς εὖ τὸν ἄνδρα ποικίλως τ' ἐπῆλθες ἐν λόγοισιν* pro *ἐπῆλθες* a solo Ravennate tradito, quod Kockio placuit, Veneti et ceterorum codicum lectionem *ὑπῆλθες* veram puto.

VII. In Senecae epistularum ad Lucilium undenonagesima paragraphus septima loco movenda et in fine quartae collocanda est.

VIII. Contendo verbis illis Horatianis (c. II 7, 10) 'relicta non bene parmula' Horatium potius fortem quam ignavum fuisse comprobari.

VITA.

Carolus Westerwick natus sum Mindae ante diem XVIII Calendas Februarias anno huius saeculi LXIII patre Eduardo, matre Elisa de gente Johannsmann, quorum alterum morte mihi ereptum esse doleo. Fide initiatus sum evangelica. Litterarum elementis Mindae imbuto optime mihi contigit ut gymnasium Bielefeldense, cui Nitzchius praeest, adirem. Deinde gymnasii Mindensis, quod Grautoffio rectore floret, factus sum discipulus. Maturitatis testimonio instructus vere 1881 Monasterium me contuli, ubi qer quattuor semestria scholas frequentavi Langeni, Lindneri, Milchhoeferi, Niehuesii, Stahlii, Storckii. Deinde universitatis Berolinensis per duo semestria fui civis, ubi me docuerunt Kirchhoffius, E. Curtius, Lazarus, Paulsenus, Treitschkius, Vahlenus. Denique hanc almam studiorum sedem repetivi eisdemque fere quibus ante doctoribus per duo semestria usus sum. Hos deinde duos annos litterarum studiis vacans egi Mindae.

Exercitationibus ut interessem benigne permiserunt germanicis Storckius, latinis Vahlenus. In seminario philologico Monasteriensi, cuius sodalis per quattuor semestria extraordinarius, per unum ordinarius fui, praeceptoribus usus sum Langeno et Stahlio, quibus, imprimis Stahlio, de me optime meritis gratias ago quam maximas.

DE

REPUBLICA PLATONIS COMMENTATIO.

COMMENTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA
MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XXV MENSIS IUNII A. MDCCCLXXXVII

IN PUBLICO DEFENDET

SCRIPTOR

CAROLUS WESTERWICK

GUESTFALUS.

MONASTERII GUESTFALORUM.

EX TYPOGRAPHIA COPPENRATHIANA.

MDCCCLXXXVII.

MATRI CARISSIMAE
SACRUM.

Platonis opus divinum quod inscribitur *Πολιτεία*, quo de iustitia, non de civitate principalem esse quaestionem primus et extremus liber extra omnem dubitationem ponunt, in duas partes dividitur. Harum prior usque ad octavum librum pertinet ac duas maxime disputationes complectitur: unam de iustitia in civitate et homine expressa institutam, alteram id maxime agentem ut quibus rationibus illa perfecti hominis ac civitatis species ad verum adducatur idque non posse nisi philosophorum in republica imperio et omnino philosophiae acerrimis studiis effici comprobetur. Ab octavo ad decimum librum nova disceptatur de utilitate iustitiae deque iniustitiae miseria quaestio, ita quidem ut quattuor iniustae civitatis hominisque ei consimilis generibus illustretur, quo civitas aut homo aliquis ad improbitatem perfectior exsistat, eo ipsis perniciosius futurum esse.

Quam artis ac compositionis considerantes perspicuitatem non possumus non offendi Krohnium libris suis qui inscribuntur: 'der platonische Staat' Halle 1876 et 'die platonische Frage' Halle 1878 tradito librorum ordine funditus perverso eos ita legendos esse pro certo affirmare ut priores quattuor octavus nonus decimus sequatur, hos quintus sextus septimus excipiat[1]) (I—IV, VIII—X, V—VII).

Quippe videtur ei totum opus non continua opera confectum atque uno tenore perscriptum, sed diversis temporibus frustatim compositum et per varia temporum intervalla in publicum emissum esse, eiusque rei documento multa sane afferre studuit argumenta cum ex rerum memoria tum ex ipsius Politiae natura atque indole petita. Quae cum nobis vir doctissimus parum probaverit, commentatio nostra hoc habet propositum ut ea deinceps accurate examinet ac si fieri possit refellat.

---

[1]) Die platonische Frage p. 129.

Ac primum Politiam particulatim esse scriptam editamque non leviter censet Krohnius (der plat. Staat p. 73) confirmari eo quod Gellius (N. A. XIV 3) narret Xenophontem inclito illi operi Platonis quod de optimo statu reipublicae civitatisque administrandae scriptum sit, lectis ex eo duobus fere libris, qui primi in vulgus exierint, opposuisse contra conscripsisseque diversum regiae administrationis genus quod *Παιδεία Κύρου* inscriptum sit. Cuius narrationis fidem cum iam Augustus Boeckhius[1]) iustis de causis suspectam reddiderit, tum vero etiamsi haberet aliquantum veri haec fabula, tamen ne sic quidem ad causam nostram ullo modo pertineret. Quid enim, si Plato revera duos priores libros Politiae seiunctos a ceteris in lucem publicam emisit, num eo credere vetamur aut posteriores non multo post editos esse aut totum opus nihilo minus uno tenore atque consilio litteris esse perscriptum?

Vix enim ad universam operis compositionem quidquam differre contenderis utrum scriptor aliquis eam partem quam primam confecerit in scrinio tamdiu retineat dum totus liber confectus sit, an statim in vulgus edat.

Hinc autem cum iam apparere putemus Gellii narratione de Republica temporibus multum diversis composita nihil effici posse, ad aliam progrediamur examinandam rationem, quam cum per saeculi fere spatium homines eruditi identidem agitavissent, ne Krohnius quidem non suscipiendam putavit. Fuerunt enim inde a Bizeto et Morgensternio usque ad hoc tempus multi et doctissimi viri, e quibus Meinekium, Bergkium, Rankium quique nuperrime exstiterunt Krohnium et Teichmuellerum nominasse satis habeo, qui Aristophanem philosophi de mulierum liberorumque et bonorum communione doctrinam Ecclesiazusarum fabula irrisisse crederent[2]). Quod si comprobari posset, esset sane Krohnii de Politia particulatim composita opinio extra omnem posita dubitationem, quoniam libri I—V, in quibus de communione illa exponitur, iam ante actas Ecclesiazusas, id est ante annum 389 ante Ch. (v. Goetzium de temporibus Ecclesiaz. Aristoph. in Ritschelii actis societatis philo-

---

[1]) V. Aug. Boeckhii Commentationem de simultate quae Platoni cum Xenophonte intercessisse fertur. Berolin. 1811.

[2]) Cf. Krohn d. pl. St. p. 72—105.

logorum Lipsiensium II p. 355), scripti essent, posteriorem vero operis partem demum post primum philosophi in Siciliam iter, id est post a. 387, confectum esse clarissima tyranni in octavo nonoque libro (VIII 567, IX 577) descriptione efficitur. Sed argumenta quibus haec sententia nititur parum gravia sunt quam ut ei assentiri possimus.

Et primum quidem quod gubernatio civitatis ad mulieres defertur, non ea re Platonis ἀρχούσας (VII 540 C) perstringi inde colligitur quod dominatio muliebris iam in Lysistrata festive describitur, quo quidem tempore (acta enim Lysistrata est a. 411) de Republica Platonis nondum poterat cogitari. Huc accedit quod Plato feminis non nisi hoc permittit ut in reipublicae gerendae societatem veniant, Aristophanes solis mulieribus universam rerum civilium administrationem tradit. Praeterea cum reputaverimus apud Aristophanem feminarum imperium originem petere ex virorum in republica gerenda inertia, inconstantia, proprii commodi studio, neglectione salutis communis, in Politia cum mulieribus regnum communicatum esse idcirco quia eadem qua viri ingenii indole praeditae sint, certissima luce apparet, si omnino comparationem inter Rempublicam et Ecclesiazusas instituere liceat, non posse nisi posteriorem comoediae partem (inde a versu 588) in disceptationem venire. Hoc autem concesso magna certa difficultas oritur ex argumenti fabulae unitate ac simplicitate turbata ac perversa. Cum enim sit haec comoedia ita comparata ut temeraria virorum novandi cupiditas in ea novis mulierum institutionibus in immensum aucta amplificataque ad ridiculum traducatur (cf. Eccl. v. 586, 408—25), eaedem leges ad Platonis doctrinam cavillandam spectare dicuntur, quam quidem materiae ambiguitatem parum esse verisimilem vix dubitaveris. Sed hac re in medio relicta ut aggrediamur aliquando illam facetam comici fictionem cum severa philosophi disputatione conferre, hoc sane negari non potest, si universa rei natura respiciatur, non exiguam inter eas similitudinem inveniri. Quae talis est ut utrumque scriptorem, si eandem rem utrumque suo tractasse modo arbitreris, nihil huic opinioni obstet, si autem Aristophanem Platonis placita lusisse contendas, vix sit quod famae comici magis officiat. Prima enim artis comicae lex est ut, quamvis speciei ridiculae causa omnia in maius amplificentur, tamen ne vis comica pereat,

aliquantum veri etiam depravatae imagini subsit. Quod in Ecclesiazusarum fabula se ita habere negamus.

Primum enim leges de communione bonorum ac mulierum ferri apud comicum quidem eo tantum probabile efficitur quod hae unae nondum sint in Atheniensium populo suasae ac temptatae (v. 456), cum in republica eadem res cum summo operis fine ac proposito, ut civitas quam maxime fieri possit simplicitati atque unitati idearum accommodetur, artissime cohaereat. Deinde Plato bonorum, liberorum, mulierum, epularum communionem in solum custodum ordinem concludit, Aristophanes omnibus ea aequaliter tribuit. Ille uni ordini tertio quaestum ac peculiares opes permittit, unde victum custodibus principibusque solvant, principes ipsos aurum possidere vetat; hic omnibus omnium rebus in unum collatis mulierumque in potestatem redactis neminem quidquam habentem proprii dominasque populum alentem facit. Quae cum ita sint, Plato tertium genus civium agros colere, Aristophanes servos iubet. Etiam maior in feminis liberisque communibus inter utrumque dissimilitudo exsistit. Plato enim, ut quam optima proles nascatur, fortissimos validissimosque custodum cum mulierum praestantissimis misceri iubet, deteriores utriusque sexus retinentur magis quam ad procreandum admittuntur; Aristophanes prorsus contraria ratione usus deformes aetateque provectiores et viros et feminas cum formosis iuvenibusque iungit, id potissimum secutus ut omnes libidinis fructum pariter percipiant.

Ut igitur eorum quae adhuc disputavimus summam paucis comprehendamus, tanta est utriusque scriptoris in eodem argumento tractando diversitas ut, si Aristophanem philosophi rationes irridere et quasi convellere in animo habuisse dicas, eum proposito suo non satisfecisse confitendum sit. Quod non refutatur paucis illis Ecclesiazusarum locis [1]) quibus nonnullae Platonis sententiae paene ad verbum repeti videntur: hunc enim ab utraque parte consensum ex argumenti similitudine satis facilem habere explicationem etiam ei quibus contrarium ac nobis in hac causa iudicium

---

[1]) Cf. Susemihl Die genetische Entwicklung der platonischen Philosophie II 297. Respondent sibi Eccl. v. 635 ff. et Pol. V 461 C—E et 465 A B; v. 657 et V 464 D; v. 672 sequ. et III 416 D.

est concedere non dubitaverunt[1]) (cf. Krohn der plat. Staat p. 78). Quid? Si comicus philosophi voluisset doctrinam perstringere, num fugissent eum illae irrisioni maxime obnoxiae mulierum luctandi equitandique exercitationes, quae ne facetorum hominum iocis carperentur ipse est Plato veritus (l. V 452 C, 457 B)? Quae res mihi quidem tanti esse momenti videtur ut vel hac sola Aristophanem Politiae non habuisse notitiam efficiatur. Eodem pertinet quod Plato ipse ne levissime quidem in Ecclesiazusis designatur. Nam quod Aristyllo Eccl. v. 647 turpiter notato philosophum subesse Bergkius et Meinekius suspicati sunt, id perquam vanum esse non solum a doctis hominibus iam dudum demonstratum est (cf. Susemihlium, die genetische Entwicklung der platonischen Philosophie II p. 301), sed etiamsi vere sic esset, vix inde illorum opinio multum comprobaretur. Etenim Aristylli illius commemoratio, quem hominem fuisse impudicum indicatur, non aliter fit atque aliorum, veluti Epicuri vel Leucolophantis (Eccl. v. 644) in hac fabula mentio inicitur. At enim vero si Ecclesiazusae ad ludenda Platonis decreta compositae essent, philosophum in eis necesse esset ita carpi ut eum auctorem esse illorum placitorum satis inde eluceret.

Novum nuperrime Teichmuellerus[2]) artissimae Ecclesiazusarum cum Politia necessitudinis argumentum afferre conatus est ex duobus Aristotelis Politicorum locis, quorum alterum iam Rankius (Aristoph. ed. Meineke praefat. p. XLIX) eodem consilio in medium protulerat. Videtur autem utrique viro doctissimo hoc recte inde colligi posse, de mulierum bonorumque communione ante Platonem egisse omnino neminem, ergo ne Aristophanem quidem. Loci autem a Rankio citati (Aristot. Polit. II 1274 b), quem ut vere iudicemus, plenius

---

[1]) Parum accurate mihi Teichmuellerus (Litterar. Fehden im IV. Jahrh. v. Chr. p. 17 et 19) Eccl. v. 594: *ἀλλ᾽ ἕνα ποιῶ κοινὸν ἅπασιν βίοτον καὶ τοῦτον ὅμοιον* cum Politiae V p. 462 *ἔχομεν οὖν τι μεῖζον κακὸν πόλει ἢ ἐκεῖνο ὃ ἂν αὐτὴν διασπᾷ καὶ ποιῇ πολλὰς ἀντὶ μιᾶς; ἢ μεῖζον ἀγαθὸν τοῦ ὃ ἂν ξυνδῇ τε καί ποιῇ μίαν* contulisse videtur. Hos locos minus habere necessitudinis puto. Aristophanes enim illo versu de una victus communione, Plato de totius civitatis in unum conspiratione et concentu explicat. Cui si quis ita occurrit ut ex ipsa ea omnium vitae aequalitate etiam universae reipublicae dicat unitatem concentumque exsistere, id etsi non longe abest quin largiamur, tamen poetam fatendum est parum distincte significavisse.

[2]) l. l. p. 15.

adscribimus, verba sunt haec: *Χαρώνδου δ' οὐδέν ἐστιν ἴδιον πλὴν αἱ δίκαι τῶν ψευδομαρτυριῶν (πρῶτος γὰρ ἐποίησε τὴν ἐπίσκηψιν), τῇ δ' ἀκριβείᾳ τῶν νόμων ἐστὶ γλαφυρώτερος καὶ τῶν νῦν νομοθετῶν. Φαλέου δ' ἴδιον ἡ τῶν οὐσιῶν ἀνομάλωσις, Π λ ά τ ω ν ο ς δ' ἥ τ ε τ ῶ ν γ υ ν α ι κ ῶ ν κ α ὶ π α ί δ ω ν κ α ὶ τ ῆ ς ο ὐ σ ί α ς κ ο ι ν ό τ η ς καὶ τὰ συσσίτια τῶν γυναικῶν, ἔτι δ' ὁ περὶ τὴν μέθην νόμος, τὸ τοὺς νήφοντας συμποσιαρχεῖν, καὶ τὴν ἐν τοῖς πολεμικοῖς ἄσκησιν ὅπως ἀμφιδέξιοι γίνωνται κατὰ τὴν μελέτην, ὡς δέον μὴ τὴν μὲν χρήσιμον εἶναι τοῖν χεροῖν, τὴν δὲ ἄχρηστον. Δράκοντος δὲ νόμοι μέν εἰσι . . . . ἐγένετο δὲ καὶ Πιττακὸς νόμων δημιουργός . . . . . . ἐγένετο δὲ καὶ Ἀνδροδάμας νομοθέτης κτλ.* Haec apparet ita tantum ad hanc rem diiudicandam nonnihil habere ponderis, si voci *Πλάτωνος* oppositum subaudiatur *πάντων δ' ἄλλων ἀνθρώπων οὐ* (sc. *ἡ κοινότης ἐστίν*). Quod non ita esse contextu orationis cognoscitur. Neque enim sermo est nisi de philosophis qui aliquam doctrinam civilem tradiderunt aut de principibus qui rebuspublicis vel immutandis emendandisque vel constituendis ac condendis operam dederunt. Huius generis enumerantur Zaleucus Charondas Philolaus Draco Pittacus Androdamas, illius Plato et Phaleas. Cum igitur tantummodo prae ceteris qui nominatim appellantur rerumpublicarum aut conditoribus aut scriptoribus Platoni communio bonorum et mulierum ut sua vindicetur, elucet hunc locum a quaestione nostra omnino alienum esse.

Nec secus de altero loco a Teichmuellero laudato, qui non multo ante legitur (II 1266 a 30), iudicandum esse videtur: *εἰσὶ δέ τινες πολιτεῖαι καὶ ἄλλαι, αἱ μὲν φιλοσόφων καὶ ἰδιωτῶν, αἱ δὲ πολιτικῶν,*[1] *πᾶσαι δὲ τῶν καθεστηκυιῶν καὶ καθ' ἃς*

---

[1]) Sic enim scribendum traditumque libris manu scriptis et latina Guilelmi de Moerbeka translatione commendatum ordinem verborum *αἳ μὲν ἰδιωτῶν, αἳ δὲ φιλοσόφων καὶ πολιτικῶν* relinquendum esse (sc. quia philosophi ut privatorum pars falso his opponuntur et rectius cum eis copulantur) Spengelius censuit, cui postremo etiam Susemihlius est adstipulatus (Ar. Politik griech. u. deutsch. v. Susemihl et in editione minore Teubner), quae quidem coniectura verisimilior videtur quam quod Piccartus suspicatus est: *αἳ μὲν ἰδιωτῶν καὶ φιλοσόφων,* quamquam ad sententiam nihil differt. Nam si scriptum erat *αἳ μὲν φιλοσόφων καὶ ἰδιωτῶν, αἳ δὲ πολιτικῶν*, facile poterat accidere ut oculi librarii post *αἳ μὲν ἰδιωτῶν* ad oppositum *α ἳ δ ὲ* aberrarent interiecto *φιλοσόφων* nomine praetermisso, quod in margine adscriptum postea alieno loco orationis

πολιτεύονται νῦν ἐγγύτερόν εἰσι τούτων ἀμφοτέρων. οὐδεὶς γὰρ οὔτε τὴν περὶ τὰ τέκνα κοινότητα καὶ τὰς γυναῖκας ἄλλος κεκαινοτόμηκεν οὔτε περὶ τὰ συσσίτια τῶν γυναικῶν, ἀλλ' ἀπὸ τῶν ἀναγκαίων ἄρχονται μᾶλλον. Haec Teichmuellerus ita interpretatur: 'Kein andrer Privatmann, Philosoph oder Staatsmann hat sich mit seinen Gedanken soweit von den bestehenden Verfassungsformen entfernt, dass er wie Plato auf den originellen Einfall gekommen wäre, die Gemeinschaft der Kinder und Weiber und die Convicte der Weiber zu fordern.' Atque in numero *ἰδιωτῶν* cum etiam Aristophanem habendum censeat, verba Aristotelis sic accipit ut Plato princeps illorum placitorum auctor dicatur (*κεκαινοτόμηκεν*), Aristophanes imitator tantum atque irrisor putari possit. Quam opinationem profecto non pauca sunt quae infirment ac reiciant. Primum enim Aristophanes qui potest in privatis illis numerari, cum omnes quae hominibus supra designatis acceptae referuntur respublicae, Platonica (nam haec est in duobus generibus antea significatis) minus ab hominum consuetudine ac moribus dicantur discedere? Esse autem reipublicae formam in Ecclesiazusis illustratam exemplari Platonico multo insolentiorem atque plane ridiculam nemo intellegens infitiabitur. Tum vero homo ille doctus plane neglexit, cum duo discernantur reipublicae genera, alterum philosophorum eorundemque privatorum, alterum virorum in republica administranda versantium, Aristophanem, quippe qui privatus quidem, sed non philosophus sit, in censum omnino venire non posse. Neque satis respexit Politicorum locum a se laudatum eam vim habere ut de quibus deinceps disputandum sit breviter adumbret. Peracta enim Platonis Politiae et Legum censura philosophus sibi proponit illius de republica optime con-

---

contextui insertum est: Sed utramcunque scripturam praetuleris, inde quod *αἳ μὲν — αἳ δὲ* sibi respondent certissime colligitur Aristotelem duo hominum genera, non tria ut Teichmuellero vertenti: 'kein andrer Privatmann, Philosoph oder Staatsmann' placuit, designare voluisse, ita ut *φιλόσοφοι καὶ ἰδιῶται* intellegendi sint privati philosophiae studio dediti vel philosophi a republica remoti. Frequens enim est haec ratio duas res particula *καὶ* adhibita sic coniungendi ut unum efficiant, quam eandem prae se ferunt exempla illa tritissima *πολλὰ καὶ ἄλλα, πολλὰ καὶ θαυμαστά; βῆ πρὸς δῶμα Διὸς καὶ μακρὸν Ὄλυμπον.* Denique duo tantum civitatum genera distingui luce clarius quod insequitur *τούτων ἀμφοτέρων* ostendit.

stituenda praeceptis continuare enarrationem aliarum quarundam rerumpublicarum aut revera exstantium aut litteris tantum consignatarum quae, cum ad humanam vitam et mores Platonica propius accedant, tamen non pauca habeant singularia ac memoria litterisque dignissima. Itaque primum de Phalea Chalcedonio exponit, quem aequalem agrorum ac bonorum inter cives distributionem suasisse tradit, tum de Hippodamo Milesio, qui et reipublicae curam administrationemque inter omnes cives communem esse et proprium secretumque a ceteris militantium ordinem publico sumptu alendum institui voluerit. Deinde Lacedaemoniorum et Cretum respublicae describuntur, quae quam multa habeant cum Platonico civitatis specimine communia satis superque a viris doctis explicatum est (cf. Morgensternii de Republica Platonis commentat. tres 1797 p. 307 et C. Fr. Hermanni gesammelte Abhandlungen und Beiträge p. 150); tum de Carthaginiensium, postremo de Atheniensium civitatis forma paucis agitur. Hae sunt respublicae illae aut a philosophis iisque a republica remotis effictae aut a viris rerum civilium peritis constitutae, quod si Teichmuellerus diligentius consideravisset, profecto longissime ab illa opinione afuisset ut Aristophanem in *ἰδιωτῶν* numero habendum censeret. Interpretationem nostram complures Politicorum loci confirmant, quos oculis subicere non inutile videtur. Quorum qui primus legitur ad hanc rem plurimum valet: II 1260 b 30 *ἐπεὶ προαιρούμεθα θεωρῆσαι περὶ τῆς κοινωνίας τῆς πολιτικῆς τίς κρατίστη πασῶν τοῖς δυναμένοις ζῆν ὅτι μάλιστα κατ᾽ εὐχήν, δεῖ καὶ τὰς ἄλλας ἐπισκέψασθαι πολιτείας, αἷς τε χρῶνταί τινες τῶν πόλεων τῶν εὐνομεῖσθαι λεγομένων καὶ εἴ τινες ἕτεραι τυγχάνουσιν ὑπό τινων εἰρημέναι καὶ δοκοῦσαι καλῶς ἔχειν*; cui post Platonis Politiam et Leges enarratas severissimeque iudicatas perapte respondet is quem Teichmuellerus citavit et nos rectius interpretari modo studuimus, quo idem philosophus consilium repetit. Tertium Aristoteles eandem rem commemorat II 1273 b 25: *τῶν δὲ ἀποφηναμένων τι περὶ πολιτείας ἔνιοι μὲν οὐκ ἐκοινώνησαν πράξεων πολιτικῶν οὐδ᾽ ὡντινωνοῦν, ἀλλὰ διετέλεσαν ἰδιωτεύοντες τὸν βίον, περὶ ὧν εἴ τι ἀξιόλογον, εἴρηται σχεδὸν περὶ πάντων, ἔνιοι δὲ νομοθέται γεγόνασιν . . . . καὶ τούτων οἱ μὲν ἐγένοντο δημιουργοὶ νόμων, οἱ δὲ καὶ πολιτείας,*

οἷον καὶ Λυκοῦργος καὶ Σόλων etc.; postremo postquam tota de memoratu dignissimis rebuspublicis aut cogitatione tantum informatis aut revera inter homines usurpatis oratio absoluta est, eodem redit initio libri III: *τὰ μὲν οὖν περὶ τὰς πολιτείας, τάς τε κυρίας καὶ τὰς ὑπὸ τινῶν εἰρημένας, ἔστω τεθεωρημένα τὸν τρόπον τοῦτον.*

Haec cum sufficere videantur ad opinationem Teichmuelleri convellendam ac reiciendam qua Politiae ante Ecclesiazusas compositae ipsum Aristotelem exhibere testem voluit, duas etiam afferre causas in animo est quibus potissimum comici fabulam a Republica philosophi ad ridiculum traducenda alienam fuisse credamus. Primum, ut iam ante significavimus, mulierum rogationibus praelusionis instar antecedunt quae a quibusdam demagogis in contione suadentur non magnopere a bonorum aequatione abhorrentia (Eccles. v. 408—21), ut et fullones egentibus pallia distribuant et pelliones lectos stramentaque sine pretio utenda permittant. Huc si adiungimus Eccl. v. 586: *περὶ μὲν τοίνυν τοῦ καινοτομεῖν μὴ δείσῃς· τοῦτο γὰρ ἡμῖν δρᾶν ἀντ' ἄλλης ἀρχῆς ἐστιν, τῶν δ' ἀρχαίων ἀμελῆσαι,* paene certum est quae a mulieribus communionis leges ferantur ad nihil aliud quam inconsideratam virorum novandi libidinem facete perstringendam spectare.[1]) Neque huic obstat sententiae quod priores plebis ducum rogationes ad bonorum tantum distributionem aequalem pertinere videntur, quoniam uxorum communionem velut cumulum ad illam accedere v. 614 significatur (cf. Susemihl Genet. Entw. II p. 297).

Deinde ad eandem opinionem adducimur, si respicimus Platonem in V Politiae libro homines facetos compluribus locis admonere ne in risum vertant nisi mala ac perversa (V 452 C, 457 B). Quamquam aliter in hac re iudicamus ac Boeckhius (de simultate p. 26), cui 'Plato in V Reipublicae libro lepidorum hominum facetiis perstricta haec placita significans Aristophanis comoediam respicere videtur.' Etenim si locos libri V accuratius examinaveris, facile videbis philosophum non cum ipsius communionis decreta

[1]) Quod leges Praxagorae *μήτε δεδραμένα μήτ' εἰρημένα πω πρότερον* complecti dicuntur (v. 598), ad solam scaenam referendum esse 'antea neque acta neque recitata' docent proxima (*μισοῦσι γὰρ ἦν τὰ παλαιὰ πολλάκις θεῶνται κτλ*), vixque recte Zellerus (Geschichte der griechischen Philosophie II p. 466) his verbis (v. 598) ut Ecclesiazusas probaret ante scriptam editamque Politiam actas esse usus est.

proponat, sed de mulierum exercitationibus gymnasticis iniecta mentione comicos ne risu indigna traducant monere. Itaque eiusmodi quidem vocibus etsi poetas philosophorum inventa, quae quidem ridicula viderentur, saepe exagitasse elucet, tamen Platonis de mulieribus bonisque communibus doctrinam in scaena irrisam fuisse eis nullo modo evincitur. Immo inde quod in ea parte orationis qua de mulierum communione agitur comoediae ioci ne verbo quidem tanguntur, cum tamen feminarum usus promiscuus antea propositus maiorem certe ridendi materiam praeberet, verisimile fieri putamus quo tempore liber V scriptus sit Ecclesiazusas iam datas fuisse. Quid enim ea ne riderentur Plato moneret quae nondum illusa essent? Non licuisse autem philosopho quae iam publico risu affecta fuissent 'ut res plane novas, indictas ore alieno venditare' (Morgensternius l. l. p. 77) nemo facile contendet cui quantum inter levissima comici commenta et gravissimam philosophantis ingenii argumentationem intersit perspectum erit. Nec iustius quisquam, si Ecclesiazusae ante Politiam dicantur scriptae esse, aliquam earum designationem desideraverit; quippe comoediae iocos divina illa ingenia peraequo accepisse animo satis docet iucunda Socratis in Convivio (p. 221 B) Aristophanis Nubes significantis humanitas.

Atque haec quidem de Ecclesiazusis. Quas cum pro certo exploratum putemus ad primordia Reipublicae Platonicae accuratius definienda nihil prorsus pertinere[1]), iam pergamus ad illud quod in hac disputatione est maximum, ut ipsius Politiae examinantes naturam atque argumentandi rationem videamus num recte Krohnius opus divinum, tanquam argumenti simplicitate atque unitate destitutum, per magna temporum intervalla compositum esse iudicaverit. Contendit enim libris I—IV, VIII—IX nihil inesse nisi psychologiam quam dicunt empiricam, omnium enim fundamentum esse *τὴν φύσιν* et *τὸ γιγνόμενον*, non solum abesse, sed omnino nondum cognovisse Platonem ideas. Contra in reliqua parte solam inveniri philosophiam, dominari *τὸ ὄν*, contemni veritatem rerum ut nebu-

[1]) Eam tum fuisse Atheniensium reipublicae condicionem ut in promptu esset communem omnium rerum possessionem somniare docet Beloch Die attische Politik seit Perikles p. 11. Hoc igitur fabulae ansam videtur dedisse.

losam et inanem (d. plat. Fr. p. 103 ff.). Quae quod ita sint, negat Platonem certo atque perspicuo usum esse consilio scribendi, sed dictum illud Socratis (II 394 D) *οὐ γὰρ δὴ ἔγωγέ πω οἶδα, ἀλλ' ὅπῃ ἂν ὁ λόγος ὥσπερ πνεῦμα φέρῃ, ταύτῃ ἰτέον* ad recte iudicandam Politiae scriptionem adhiberi vult (cf. d. pl. Fr. p. 6, 7; d. pl. St. p. 4).

Sed primum ille operis propositum ac compositionem prorsus neglexisse videtur, ita ut nunquam animum inducat quaerere qua quoque loco de re constitutum sit disserere quidque igitur aliquo loco exspectari, quid non debeat, sed philosophi rationes undique colligat et inter se conferat, unde non paucas et dissociabiles offendere discrepantias non mirum. Deinde falso, quod in priore parte *φύσιν* praevalere, in posteriore idearum doctrinam dicit, hinc diversis utramque temporibus attribuit, cum hanc duplicem philosophandi rationem apud Platonem simul inveniri doceat Zellerus l. l. II 1 p. 736: 'Beide Darstellungsweisen finden sich bei Plato, wenn auch nicht so schroff auseinandergehalten, dafs sie einander ausschlössen' et ibid. p. 739: 'die Einsicht und die Vernunft, sagt er (Phileb. 28 A. ff. 64 C.) stehen allerdings ungleich höher als die Lust, ... aber doch wäre ein Leben ohne alle Empfindung der Lust oder der Unlust eine reine Apathie, auch nicht wünschenswert; ebenso aber könne auf dem Gebiete des Wissens die reine und ideale Erkenntnifs für sich allein, obwohl weit das Höchste, nicht genügen, sondern es müsse die richtige Vorstellung hinzukommen, ohne die man sich auf der Erde nicht zurechtfinden könne, ferner die Kunst (Musik) als unentbehrlich zur Verschönerung des Lebens' etc.

Profecto si quis, ut facit Plato in septimo Reipublicae libro, quaecunque visa sint et percepta sensibus vera essentia plane destituta esse et videri tantum sibi persuaserit, eumne ad communem vitae consuetudinem ita descensurum putas ut nulla in re doctrinam suam negligat? De qua re praeclara sunt quae dixit summus ille Britannorum philosophus Humius in dialogis suis de religione naturali scriptis, ubi cum multa egregie ac luculente contra Pyrrhonismum quem dicunt disputavit, tum postquam Philonem varie et copiose de omnium quae sub sensus cadunt rerum veritate dubitantem iisque ut incertis assensionem cohibentem fecit, denique ipse

Cleanthis persona indutus: 'Tua vero, inquit, omnia negandi infitiandique ratio quam vera sit mox videbimus, cum amici discedent. Tum enim apparebit utrum per portam an per fenestram exiturus sis, corpusve tuum pondus habere lapsuque laedi posse revera dubites.' Nimirum quamvis confidenter Plato in libro septimo rebus externis plenam adimat veritatem easque in sola sensuum opinatione ponat, tamen cum de rebus civilibus prudenter instituendis deque hominum vita et moribus disputet ita dirigendis temperandisque ut felicitatis fructus ex eis quam uberrimus percipiatur, luce clarius est oportere eum rerum inanitate relicta hanc ipsam hominum vitam consuetudinemque quam sibi excolendam proponit tanquam veram essentiaeque participem habere[1]). Itaque licet verum sit in Republica duas ac plane contrarias inveniri disputandi rationes, tamen nullo pacto inde temporibus eam multum disiunctis scriptam esse colligi potest; multo vero aliter res se habet, si, ut postea conabimur ostendere, in sexto quoque et septimo libro *φύσις*

---

[1]) Nec ab hac re aliena videntur quae E. Duehringius, philosophorum acerrimus iudex (Kritische Geschichte der Philosophie II. Aufl. p. 35) de Eleatis naturam rerum inanem nec veram existimantibus affert: 'Nach ihnen (den historischen Berichterstattungen) hat es meist den Anschein, als wenn die Denker von Elea den gemeinen Begriff der Wirklichkeit nicht gekannt und in ganz unbegreiflicher Weise das geleugnet hätten, was bei gesundem Verstande Jedermann gelten lassen muss. Um einer solchen Missdeutung vorzubeugen, ist es besser, statt von Realität oder Wirklichkeit überhaupt ohne Unterscheidung zu reden, Arten oder Grade der Wirklichkeit als in Frage vorauszusetzen. Offenbar kann es sich in keiner philosophischen Vorstellung um die Leugnung einer Existenz überhaupt, sondern stets nur um die Rangordnung der Realitäten handeln. Die Wirklichkeit des Traumes ist eine andere als die des wachen Zustandes. Die Realität der blossen Phantasievorstellung, die als solche in uns real vorhanden ist, ist nicht leicht mit der objectiven Wirklichkeit einer gegenständlichen Existenz zu verwechseln. . . . . Wir kennen also innerhalb der allgemein zugänglichen und übersehbaren Erfahrung verschiedene Gattungen des Seins, denen wir, nach Massgabe ihrer Beschaffenheit und nach der Schranke, Tragweite und Nachhaltigkeit ihrer Wirkungen, mehr oder minder Realität beilegen. Nur allein im Anschluss an derartige, uns wohlbekannte Unterscheidungen der Realitätsstufen lassen sich deutliche Begriffe von dem Sinn derjenigen Philosopheme gewinnen, welche die gemeine Wirklichkeit an einem höheren Mass der Realität und des Seins zu messen versuchen und in Folge dessen die gemeinen Vorstellungen, welche in dem Gegebenen unbedenklich das Letzte und Höchste anerkennen, nicht gelten lassen.'

et *τὸ γιγνόμενον* non minus quam in ceteris valent ac vigent. Sed de his cum occasio oblata erit videbimus, nunc ad priores libros reversi hoc nobis sumimus ut, cum Plato ipse eos fabulae similem narrationem habere non semel dicens (III 396 D, VI 501 E) consummatam doctrinam continere negaverit, non solos ex se ipsis intellegendos et diiudicandos esse putemus. Unde vero repetenda est verae intellegentiae norma? Zellerus quidem (l. l. II 1 p. 761) verba Platonis V 773 sic interpretatus: 'wenn nicht die Philosophen Herrscher werden oder die Herrscher aufrichtig und gründlich Philosophie treiben, giebt es kein Ende ihrer Leiden für die Staaten und die Menschheit', hoc adiungit: 'diese Worte enthalten den Schlüssel für Platos ganze Politik.' Viro Platonis uni omnium intellegentissimo cum in universum contradicere non audeam, tamen id certe facile opinor appariturum esse, ad primos quattuor Politiae libros recte intellegendos, quippe qui de ipsa philosophia et philosophis plane sileant, illum locum nihil afferre posse. Sed maioris momenti ad hanc rem ea sunt quae VI 500 C leguntur. Ibi enim postquam de philosophorum longe diversa a reliquis hominibus natura ac studiorum ratione Plato exponere coepit, negat eos prae sublimitate philosophandi et quod vere sit contemplandi cupiditate negotia vitae atque honores magni aestimare posse, *ἀλλ' εἰς τεταγμένα ἄττα καὶ κατὰ ταὐτὰ ἀεὶ ἔχοντα ὁρῶντας καὶ θεωμένους οὔτ' ἀδικοῦντα οὔτ' ἀδικούμενα ὑπ' ἀλλήλων, κόσμῳ δὲ πάντα καὶ κατὰ λόγον ἔχοντα, ταῦτα μιμεῖσθαί τε καὶ ὅτι μάλιστα ἀφομοιοῦσθαι.* 'Philosophus igitur', pergit Socrates, si coactus erit quae ibi conspexerit in hominum naturis ac moribus et privatim et publice imprimere, eumne censes parum aptum modestiae et iustitiae et cuiusvis virtutis publicae fabricatorem esse futurum? (*ἆρα κακὸν δημιουργὸν αὐτὸν οἴει γενήσεσθαι σωφροσύνης τε καὶ δικαιοσύνης καὶ ξυμπάσης τῆς δημοτικῆς ἀρετῆς;*) Cui loco cum VI 500 E *οὐκ ἄν ποτε ἄλλως εὐδαιμονήσειε πόλις, εἰ μὴ αὐτὴν διαγράψειαν οἱ τῷ θείῳ παραδείγματι χρώμενοι ζωγράφοι* adiungatur, aperte sequitur ut non solum civitatis perfectio atque absolutio pendeat ab imprimendis atque insculpendis illis divinis iustitiae reliquaeque virtutis formis a philosophis conspectis (nam esse ideam iustitiae quamvis diversas partes continentis verba *ὁρᾶν καὶ θεᾶσθαι* et *παράδειγμα*, quae loco VI 500 C E supra perscripto

leguntur, videntur comprobare), sed etiam ut Plato ipse rempublicam suam commenticiam in iustitiae et, ut statim apparebit, boni idearum quasi area exstruxerit[1]). Namque boni ideam non solum scientiam praebere longe gravissimam ac praestantissimam, sed etiam omnium quae gignantur et exstent causam ac fontem esse aeternum et quasi inexhaustum paulo post docetur VI 505 A, quam intuentes philosophi omnia ad summam hominum salutem commodumque non possint non aptissime facere (*ἐπεὶ ὅτι γε ἡ τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέα μέγιστον μάθημα πολλάκις ἀκήκοας, ᾗ καὶ δίκαια καὶ τἆλλα προσχρησάμενα χρήσιμα καὶ ὠφέλιμα γίγνεται*). Atque etiam eo confirmatur sententia nostra quod Plato illam quae condenda sit a philosophis civitatem sua quam ipse antea finxerit inferiorem esse significat V 473 A *Ἆρ᾽ οἷόν τέ τι πραχθῆναι ὡς λέγεται, ἢ φύσιν ἔχει πρᾶξιν λέξεως ἧττον ἀληθείας ἐφάπτεσθαι . . . . . ἀλλ᾽, ἐὰν οἷοί τε γενώμεθα εὑρεῖν ὡς ἂν ἐγγύτατα τῶν εἰρημένων πόλις οἰκήσειε, φάναι ἡμᾶς ἐξευρηκέναι, ὡς δυνατὰ ταῦτα γίγνεσθαι, ἃ σὺ ἐπιτάττεις*, quibus verbis nos quidem iure nobis colligere videmur civitatem Platonicam non solum in natura atque indole humana (*φύσις*), ut videtur Krohnio, sed etiam in ideis collocatam esse. Quam enim profecto esset absurdum priorem civitatis speciem, si vere ea psychologia quae dicitur empirica fundata esset, perfectiorem atque augustiorem fore illa quam philosophi

---

[1]) Teuffelius (Übersetzung p. 6) et Stallbaumius prolegg. p. LI idem sentiunt, quamquam non eisdem quibus nos locis nituntur. Susemihlius p. 289 dissentit, quia civitati tantummodo *εἴδωλον ἀρετῆς*, non ipsa virtus tribuatur, idea vero boni non in totius reipublicae consummatione, sed civium dumtaxat moribus ingeniisque excolendis repraesentetur. Sed IV 443 C quod dicitur *εἴδωλόν τι τῆς δικαιοσύνης* non ad universam civitatem, sed singulos eius ordines pertinet. Qui cum suo quisque munere fungendo continentur (cf. II 390 BC, quem locum a Platone respici patet), iustitiae habent quandam imaginem; omnium vero ad unum finem concentu consensuque perfecta civitatis iustitia efficitur, similiter atque anima tribus suis partibus eodem conspirantibus usa iusta appellatur. Cf. p. IV 444 A *τὸν μὲν δίκαιον καὶ ἄνδρα καὶ πόλιν καὶ δικαιοσύνην, ὃ τυγχάνει ἐν αὐτοῖς ὄν, εἰ φαῖμεν εὑρηκέναι, οὐκ ἂν πάνυ τι, οἶμαι, δόξαιμεν ψεύδεσθαι.* Et ideam boni, ex qua omnia hominum fluunt commoda utilitatesque (cf. VI 505 A), non solum in eruditione civium, ut Susemihlio videtur, sed in totius reipublicae cerni conformatione, aperiunt IV 420 B, 421 B s, VI 500 D, VII 519 C, ubi id potissimum indicatur non unius alicuius ordinis, sed universae societatis civilis quam maximam appeti felicitatem.

ad divinarum exemplar idearum essent condituri? Immo sicut in Timaeo aedificator mundi ex formis et materia procreat rerum universitatem, sic in Politia Plato primum ex idea boni ac virtutis in hominum naturis ac moribus impressa praeclarum illud societatis civilis specimen fingit (lib. I—V), deinde philosophos praeceptis instruit et exornat quae secuti mente conceptam revera efficiant.

Prorsus contrarium ac nobis de hac re visum est Krohnio (der plat. Staat p. 18), eam quam Plato *φύσιν* vocet iudicanti primam esse civitatis quasi substantiam, ex qua omnia nascerentur. Atque eius argumentationem vix poterit refellere cui eam quae usque ad librum quintum profertur civitatis optimae descriptionem ex se ipsa explicandam ac diiudicandam esse probatum erit, quod ego aliter esse supra demonstravi. Verumtamen etiamsi concedamus id Krohnio, tamen *φύσις* non potest unicum civitatis absolutae esse fundamentum[1]). Etenim cum civium alius ad aliud officium exsequendum neque ad omnia omnes natura idonei aptique sint, aliis ordinibus alii adscribuntur diversaque eis munera imponuntur. Hi ordines quoniam tres in civitate instituuntur, necesse est, siquidem Krohnius recte argumentatur, tres tantum *φύσεις* exstare. Atqui numerantur praeterea inter civitatis incolas medici (III 408), iudices (III 409), poetae (II 377 B), quibus omnibus pro facultate sua ingenium esse proprium et ab aliis discrepans nemo negabit. Erant igitur, si sola *φύσις* principium civitatis esset, illorum quoque separati ab aliis ordines formandi[2]). Quod cum factum non esse videamus, civitatis illa tripartita divisio unde originem ducat ex Krohnii quidem ratione obscurum est. Itaque cum solam indolem humanam ad reipublicae Platonicae naturam ac discriptionem recte intellegendam parum sufficere apertum sit, non inepte nobis concludere videmur inde nostrae sententiae ante propositae nonnihil roboris ac firmamenti accedere, idque eo confidentius ita futurum esse speramus quod in posteriore parte disputationis triplicem illam civitatis formam ad iustitiae speciem, quae trium animi facultatum conspirantia concentuque contineatur, revocandam esse apparebit.

---

[1]) Cf. Zellerum II 1 p. 766 similiter iudicantem.

[2]) Ac venit hoc sane in mentem Krohnio (der plat. St. p. 14), sed rationem rei non inveniens breviter praetermittit.

Sed de hoc postea pluribus; nunc quoniam Krohnii opinationi quid officiat breviter perstrinximus, placet eodem unde illius causa digressi sumus reverti atque institutam disputationem persequi.

Demonstrare supra conati sumus civitatis illius quam Plato finxerit principia esse ideam iusti bonique et naturam humanam. Atque esse ideam iustitiae Plato ipse affirmat (VI 500 B. 501 D), posita autem est in trium facultatum diversarum (*τοῦ λογιστικοῦ, τοῦ θυμοειδοῦς, τοῦ ἐπιθυμητικοῦ*) mutua consensione et conspirantia (cf. IV 443 D). Quod cum Krohnius esse posse prorsus neget, argumenta eius quo sint pondere prius aestimabimus. Disputat enim vir doctissimus ad locum V 476 A (d. pl. Fr. p. 71) hoc modo: ʽWie man sich nun das *εἶδος* des *δίκαιον* und des *ἀγαθόν* zu denken habe, bleibt ungewiſs. Jedenfalls hat es nichts mit dem *εἶδος δικαιοσύνης* des vierten Buches zu thun, das einerseits mit dem Guten vollständig gleich war, andrerseits durch die Basierung auf den drei Seelenkräften als ein für sich bestehendes Wesen schlechterdings nicht aufgefaſst werden konnte.ʼ Atque priorem rationem copiosius explicat. In quarto enim libro *τὸ κακὸν* et *τὸ ἄδικον, τὸ ἀγαθὸν* et *τὸ δίκαιον* ait idem significare, in quinto (p. 476 A) privam utrumque habere sententiam. Hoc vero quam nihili sit facile ostenditur. Quis enim, cui aliquis videatur iustus, si eum bonum virum appellet, idcirco bonum et iustum prorsus idem esse ac ne minime quidem inter se discrepare contenderit? Neque vero ea civitas quae libri V initio, quem locum Krohnius ad suam opinionem confirmandam affert, bona (*ἀγαθή*) vocatur (est autem civitas prioribus libris descripta) iustitia tantum excellit, sed tribus insuper aliis virtutibus, sapientia, fortitudine, temperantia (IV 427 E). E quibus quamquam iustitia primaria et quasi ea est sine qua ceterae nasci non possint (IV 433 B), qua re compluries iustum et bonum aut iniustum et malum copulantur (IV 445 B)[1]), tamen nequaquam cum illis ita congruit ut eas iam complecti ipsa videatur (cf. Zeller II 1 p. 750). Atque in illo libri V exordio ipse Plato quam procul ab illa sententia absit eo docet quod adiungit *εἴπερ αὕτη ὀρθή*, unde eodem iure quis *τοῦ ὀρθοῦ* et *τοῦ ἀγαθοῦ* vim eandem esse collegerit.

---

[1]) Similiter III 401 A temperantia cum bonitate coniungitur (*σώφρόν τε καὶ ἀγαθὸν ἦθος*).

Deinde quod Krohnius τὸ ἄδικον dicit IV 445 C complecti innumerabilia, in quibus quattuor imprimis insignia genera, postea vero (V 476 A) unum tantummodo genus (εἶδος) efficere, fugit virum subtilem etiam paulo ante IV 445 C (IV 444 A B) Platonem de iniustitia ut una ac simplici locutum esse, antequam ad quattuor eius formas transiret. Id autem cur faciat satis elucebit, si id modo consideraverimus improbitatem non ut iustitiam in certa aliqua ac constanti condicione animi sitam esse, sed, cum multis modis a virtute distare possit vitiositas, magnam eius esse varietatem. Apparet igitur Platoni licuisse, prout disputationi conveniret, de iustitia ut una ac simplici aut variis formis expressa exponere.

Alteram rationem inde Krohnius petit quod iustitia, cum trium animi virium concordia concentuque mutuo efficiatur, non possit eius ab animo humano seiunctum παράδειγμα, quemadmodum idearum naturae consentaneum sit, per se exstare (d. pl. Fr. p. 71). Sed hoc tantum abest ut negemus, ut cuiuslibet virtutis, cum in sua quaeque animi condicione consistat neque esse omnino sine illa possit, speciem nobis persuadeamus oportere cum animi specie quodammodo esse coniunctam. Nam illas quidem quae VI 500 D commemorantur modestiae (σωφροσύνης) et iustitiae formas quomodo quisquam omni animae necessitudine solutas fingere possit nobis quidem minime liquet. Nec Krohnii argumentis ne animi quidem esse ideam contendentis multum tribuimus. Quod enim (d. pl. St. p. 248) si qua animo quoque vindicetur species, cum tres eius particulae in perpetuo versentur motu, illum ἀόρατον τόπον, quod est idearum quasi domicilium, continere rerum formas necesse esse mobiles et concitatas dicit[1]), nimio quodam probandi studio abreptus neglexit ex rei alicuius se moventis natura non id esse consequens ut idea quoque ei consimilis et ipsa agitetur ac moveatur. Habent enim hoc sibi Platonis illae formae proprium, ut rerum omnium quaecunque sunt, quas continenter labi et fluere constat, imaginem praebeant constantem, immutabilem, omni motu solutam. Neque enim opus esset profecto ideis, si eadem illae qua

---

[1]) Cf. d. pl. St. p. 248: 'Wenn die Ideenlehre überhaupt mit diesem (dem Musterstaat) zusammenhinge, so müfste der νοητὸς τόπος paradeigmatische Formen in lebendigster Betriebsamkeit beherbergen'.

res varietate et inconstantia laborarent. Sed etiamsi hoc in medio relinquamus, quia Platonem in ideis parum sibi constare nemo nescit, tamen ista ratiocinatio vel eo infirmatur quod aliarum quoque rerum quae aliquo motu agitantur in Politia inveniuntur species, velut idea celeritatis (*τὸ ὂν τάχος* VII 529 D) et tarditatis (*ἡ οὖσα βραδύτης* ibid.), quibus adiunxisse iuvabit ex Timaeo (51 B) ignis et ex Cratylo (423 E) vocis formam[1]). Nullius denique esse momenti videntur quae in fine argumentationis Krohnianae leguntur: 'Wie hätte sich Plato auch die eine Idee der Seele denken können, wenn er lehrt, dafs die Gaben verschieden verteilt sind, dafs die *φύσις* der Seele auf weit fortgehender Differenzierung beruht?' Quasi vero non omnia rerum genera ex quibus Plato ideas fingit diversas res contineant. Neque enim, ut exemplum proferam, quia multae sunt eaeque maxime inter se dissentientes formae rerumpublicarum, cum praecipue unius imperium et paucorum dominatio et summa populi potestas distinguantur, idcirco reipublicae idea tollitur. Immo omnibus rebus quaecunque sint philosophum ideas tribuisse in Parmenide dialogo (130 B) expresse dicitur[2]).

---

[1]) Namque ut in proferendis exemplis unam respiciamus Rempublicam (d. pl. Fr. p. 165, 139), quia Krohnius reliquos omnes dialogos, quamquam antiquitatis testimoniis et nostrae aetatis virorum doctorum iudicio Platoni tribuuntur, posterioris aetatis esse putat, non prius id illi dabimus quam temerariam hanc opinionem certis ac firmis rationibus stabiliverit.

[2]) De eorum sententia qui propter argumentum tertii hominis in hoc dialogo usurpatum Platoni eum abiudicant cf. Bäumker über den Sophisten Polyxenos (Mus. Rhen. XXXIV) p. 72 sqq. Id argumentum, quod in eo vertitur ut, si notio omnibus eiusdem generis rebus communis ut idea per se constans ab eis discernatur, item tertium quoddam et ideam et res ei cognatas complectens ponendum esse (quae ratio ad hominis notionem relatum tertium hominem praeter sensibus subiectum eiusque ideam requirit) idque in immensum serpere dicatur, ipse Plato in Parmenide dialogo contra idearum doctrinam affert (131 E — 132 B. 132 D — 133 A) atque, ut sibi quidem videtur, postea refellit. Quod quo loco Aristoteles in ideis iudicandis commemoraret (metaph. I 9, 990 a 2—8) cum non idem a Platone iam ipso allatum ac reiectum esse significaret, Ueberwegius (Untersuchungen über d. Echth. u. Zeitfolge Plat. Schriften p. 177 seqq.) Parmenidem dialogum recte sibi Platoni abiudicare visus erat. Contra hunc Bäumkerus luculenta disputatione illud tertii hominis inventum demonstrat non a Platone profectum, sed Polyxeno sophistae, philosopho fere aequali, tribuendum esse. Hoc concesso apparere nihil prorsus

His expositis non solum iustitiae ac cuiuslibet virtutis animique humani, qui est virtutum quasi domicilium ac sedes, formas esse in loco invisibili collocatas confidentissime statuimus, sed etiam iusti speciem VI 500 B. 501 D. V 476 A significatam ei quae IV 443 D in trium animi facultatum temperantia et concordia cernitur iustitiae prorsus respondere pro certo habemus.[1])

Praeterea Krohnius identidem (d. pl. Fr. p. 40. 47. 55. 58) pro certo affirmat priores Politiae libros posterioribus ita contrarios esse ut in illis omnes de quibus agatur virtutes in animo sedem et locum habeant neque ab ea seiunctae cogitari possint, in his vero *ἀόρατον τόπον* teneant ab humana mente remotissimae. At videmur nobis invenisse locum (VI 484 C) ubi hae diversae rationes ita iungantur ut altera alteram compleat atque consummet. Verba sunt haec: *Ἦ οὖν δοκοῦσί τι τυφλῶν διαφέρειν οἱ τοῦ ὄντος ἑκάστου ἐστερημένοι τῆς γνώσεως καὶ μηδὲν ἐναργὲς ἐν τῇ ψυχῇ ἔχοντες παράδειγμα μηδὲ δυνάμενοι, ὥσπερ γραφῆς εἰς τὸ ἀληθέστατον ἀποβλέποντες κἀκεῖσε ἀεὶ ἀναφέροντές τε καὶ θεώμενοι ὡς οἷόντε ἀκριβέστατα, οὕτω δὴ καὶ τὰ ἐνθάδε νόμιμα καλῶν τε πέρι καὶ δικαίων τίθεσθαί τε, ἐὰν δέῃ τίθεσθαι, καὶ τὰ κείμενα φυλάττοντες σῴζειν.*[2]) Duo mihi hinc consequi videntur: primum, de ideis pulchri, iusti, boni fieri mentionem; etenim, quando ex verarum formarum contemplatione (*εἰς τὸ ἀλη-*

---

fuisse quod Aristoteles argumentum illud contra ideas proferens, quippe cuius non Plato sed Polyxenus auctor esset, Platonem hoc loco commemoraret, praesertim cum quae ille in posteriore Parmenidis parte contra disputasset Aristoteli vix probata fuissent. Itaque nullo iure originem Parmenidis Platonicam ex silentio Aristotelis in suspicionem vocari.

[1]) Idem de animae idea Susemihlio placere gaudeo (Genet. Entwicklung II 1 p. 160). Cf. etiam posteriorem Krohnii de eadem re contra Teichmuellerum argumentationem, quam mihi quidem non probavit (d. pl. Fr. 146).

[2]) Nec fefellit Krohnium haec duarum rationum copulatio (d. pl. St. p. 109: Hier werden also das psychische Paradeigma und das metaphysische *ὄν* arglos (!) coordiniert), cuius rei sibi perquam incommodae ut aliquam afferat excusationem, sine ulla alia causa suspicatur totum libri sexti exordium confusius scriptum esse. Summam profecto esse in eo disputandi inconstantiam atque inelegantiam, quae a scribendi simplicitate atque elegantia in V libro perspicua adeo abhorreat ut nulla ratione Platonem illa cum conscripsisset plane perspecta habuisse concedi possit.

θέστατον ἀποβλέποντες) philosophis in civitate iusta et bona lege sancienda sint, oportet profecto esse illud verissimum exemplar ad quod illa temperent atque constituant iusti et boni ideam. Hanc apparet intuendo et contemplando animis ac moribus inseri atque infigi, ita ut sit ἐναργὲς ἐν τῇ ψυχῇ παράδειγμα. Neque enim talia exemplaria iudice Platone in sola mente ac cogitatione inhaerere, ita ut ad studium recti honestique excolendum nihil valeant, sed potius in ipsa voluntate ac moribus sedem habere suam testatur libri tertii locus (409 C), quo illorum naturam ac rationem planius licet perspicere: ὁ δὲ δεινὸς ἐκεῖνος καὶ καχύποπτος (sc. δικαστής), ὁ πολλὰ αὐτὸς ἠδικηκὼς καὶ πανοῦργός τε καὶ σοφὸς οἰόμενος εἶναι, ὅταν μὲν ὁμοίοις ὁμιλῇ, δεινὸς φαίνεται ἐξευλαβούμενος, πρὸς τὰ ἐν ἑαυτῷ παραδείγματα ἀποσκοπῶν· ὅταν δὲ ἀγαθοῖς καὶ πρεσβυτέροις ἤδη πλησιάσῃ, ἀβέλτερος αὖ φαίνεται ἀπιστῶν παρὰ καιρὸν καὶ ἀγνοῶν ὑγιὲς ἦθος, ἅτε οὐκ ἔχων παράδειγμα τοῦ τοιούτου. Iudicem enim vitiosum atque improbum et ob id ipsum ad suspicandum proclivem Plato dicit, cum reis sui similibus utatur, acrem sagacemque delictorum inquisitorem se praebiturum esse, utpote in ea re exempla in suis ipsius moribus proposita respicientem, cum vero eidem sit de sinceris honestisque hominibus ius dicendum, quandoquidem ita animatorum in suo ingenio specimina non habeat, facile posse accidere ut praepostere suspicatus hebeti ac stulto ingenio esse videatur. Haec qui diligenter examinaverit, luce clarius, opinor, intelleget παράδειγμα Platonicum non tam ad cogitationem ac mentem quam ad mores atque actiones hominum pertinere. Hoc solum inter hunc locum et illum interest, quod tamen non ad παραδείγματος vim ac naturam, sed ad fontem atque originem spectat, ut hic (III 409 C) exemplaria illa ex vitae usu ac rerum experientia, illic (VI 484 C) ex sola idearum contemplatione hominibus insint. Iam vero cum exploratum sit posse boni iustique ideam ex loco invisibili ad animos humanos transferri inque eis imprimi, nihil prorsus obstare videtur quin invicem illa quae in libro quarto describitur iustitiae forma extollatur ex hominibus et ascendat in illum ἀόρατον τόπον et idea iusti nuncupetur.

Sed ne ita iudicemus repugnare videtur alius Reipublicae locus non semel a Krohnio usurpatus (d. pl. Fr. p. 69), quo quasi con-

temnens philosophus praeter cognitionem eas quas in quarto libro extulit virtutes *ἐγγύς τι εἶναι τῶν τοῦ σώματος* (VII 518 D) dicit. Quod nos non magnopere debet commovere. Despicit enim eas idcirco quia non ut veritatis cognoscendae facultas natura insunt in hominibus et recta tantum moderatione egent, sed ut corporis virtutes apta exercitatione atque institutione comparari possunt. Et cum de divinis iustitiae et omnis virtutis ideis in hominum animis infigendis exponitur (VI 500 D), putasne hoc aliter fieri nisi civium eruditione et exercitatione, quoniam vera scientia soli utuntur philosophi? Hac quidem igitur ex parte argumentationem nostram ne minimum quidem labefactari pro certo habemus.

Quod si recte disputavimus, duae res iam exploratae sunt: et illam civitatem Platonis commenticiam in idea boni ac iusti consistere et iustitiae qualis in libro quarto explanetur quin ideam esse dicamus nihil omnino impedire. Sed tota haec de priore Politiae parte (I — V) disputatio cum argumentis nitatur ex posterioribus libris petitis, nondum undique subversa est quae ad rem de qua agitur maximi momenti est Krohnii sententia statuentis Platonem, antequam librum sextum composuerit, nullamdum idearum habuisse notitiam[1]). Quam controversiam non posse diiudicari nisi ipsis prioribus libris accurate examinatis quis non videt? Et primum quidem causae in hanc rem a Krohnio allatae breviter examinandae sunt. Dicit enim idearum in quinque prioribus Politiae libris nec volam inveniri nec vestigium. Hoc ut ita se habeat, tamen nequaquam ex eo efficitur quod Krohnius efficere voluit, ut philosophus illo tempore ideas nondum mente comprehendisse putandus sit. Alteram causam inde ductam quod, si omnis virtus in solo inesse animo fingatur, non possit eiusdem cogitari ab animo seiuncta species, satis refellisse nobis videmur. Itaque iam in eo disceptatio vertitur nostra ut philosopho idearum doctrinam iam in perfectae civitatis imagine quae a secundo usque ad quintum librum exhibetur effingenda cognitam perspectamque fuisse ex ipsa eius partis natura atque indole comprobemus.

Recte Krohnius, ut mihi quidem videtur, in principio libri sui (der pl. St. 51) exponit Platonem in prima Reipublicae adumbratione

---

[1]) D. pl. St. p. 46, 48, 63.

quam dicit hoc maxime secutum esse ut animi humani vim et naturam pervestigaret atque ex ea civitatum rationes patefaceret et illustraret. Apparere id ait ex ipsius verbis (IV 435 E. VIII 544 D). Sed cum virtutes sine hominum commercio et consuetudine prorsus nullae sint neque possit de eis quidquam sola animi inquisitione cognosci atque explorari, invertisse philosophum naturalem rerum seriem et perfectae civitatis speciem prius effinxisse. In qua postquam tres principum, militum, opificum ordines ex diversa civium indole constituerit, translata hac in singulos homines partitione factum esse ut animus quoque in tres partes, rationem, iram, cupiditatem, divideretur. Haec igitur talis animi discriptio quamquam a civitatis similitudine ducta est, tamen hinc invicem rerum civilium explicatur natura, quam viam philosophandi recte improbatam esse a Krohnio vix negaveris. Ordo igitur disputationi is adhibetur ut ex civitatis forma animi ratio, ex hac invicem reipublicae conformatio aperiatur. Quod ita esse homines eruditos antea idcirco praeteriit quia Plato animum et civitatem, utpote magnitudine et quasi gradibus, non genere inter se differentes, magis inter se comparare quam hanc ex illius natura videtur explicare (cf. II 368 D E. IV 434 C).

Sed locos a Krohnio scite sane notatos si accuratius consideravimus, ne reliquam quidem orationem cum eis non aptissime convenire apparebit. Etenim ut ante (IV 435 E) Thracum civitati fortitudinis laus concedi propterea dicitur quod cives eius fortes sint, vel Phoenicum genti avaritia et habendi libido exprobrari et Atheniensium civitati veritatis ac scientiae studium vindicari ideo quia civibus altera divitiarum avidis, altera discendi cupidis contineatur, sic absoluta ac iusta civitas ea appellatur quae incolis excellat ad unum omnibus, quantum pro suo cuique ingenio liceat, perfectis ac iustis (IV 443 C)[1]. Neque aliter res se habet in octavo et nono libro. Hic quoque oratio ita formatur ut civitatum quae finguntur unicuique homo opponatur consimilis: timocratiae

[1]) Sane illud *'τὸ αὑτοῦ πράττειν'* non est ipsa iustitia, sed imago tantum virtutis. Quod non multum refert. Nam si ea tantum iusta civitas esset cuius omnes cives perfectam exhiberent iustitiam, talis societas civilis, cum iustitia consummata a vera philosophiae scientia repetatur neque sint in republica nisi perpauci philosophi, omnino exstare non posset.

timocraticus, oligarchiae oligarchicus, democratiae democraticus, tyrannidi tyrannicus, ut facile opineris non proponi nisi utriusque comparationem. Attamen non omisisse Platonem sententiam ante (IV 435 E) expressam qua civitates oriri ex moribus et naturis civium dicebantur, unde fieret ut quot hominum tot civitatum genera nascerentur, aperte docet cum repetita eiusdem rei (VIII 544 B) memoria tum nobilissima illa hominis tyrannici descriptio. Cuius indole ac moribus illustratis 'quodsi magnus, inquit IX 575 B, fuerit in aliqua civitate istiusmodi hominum numerus, hi tyrannidem, ad quam natura plane sunt comparati, non solum in illam invehent, sed etiam severissime exercebunt.' Hinc cum luce clarius appareat in ceteris quoque civitatum hominumque formis exprimendis philosophum id maxime secutum esse ut rempublicam quamque ab hominibus ei similiter animatis procreari solere probaret, utique facere non possumus quin hoc quidem Krohnio concedamus in libris I-IV, VIII-IX psychologiam quandam inesse. Sed longius ille procedit. Contendit enim hanc psychologiam non proficisci nisi a rerum humanarum usu atque experientia neque ulla ex parte cum sublimiore *τοῦ ὄντος* et idearum in libris VI et VII doctrina esse coniunctam. Quod cur non largiamur breviter explanandum est. Ac primum quidem *φύσιν* quam Krohnius voluit non esse posse solum atque unicum quasi fundamentum cui civitatis opus omnibus numeris absolutae superstruatur, superioribus conati sumus refellere (p. 41).

Neque aliter iudicandum est de animi humani forma triplici, quam non minus negamus a philosopho ita tantum inventam esse ut ex sola civitatis similitudine quasi effingeretur. Ita enim quam ridicule ac prorsus indigne divino ingenio argumentaturus fuerit quis non videt? Quippe si libuisset ei non tres, sed quattuor vel etiam plures instituere ordines civitatis, nonne item animi quoque augendus erat partium numerus? Quod ne veniret cuiquam in mentem, vir summus ita providit ut IV 435 D neget ea quam ingressus sit via tripartitam animi divisionem vere effici posse, novamque in eam rem et longiorem subtilioremque disputandi viam requirat. Neque Krohnio assentimur cum, ut iudicium suum magis stabiliat, secundam animi facultatem, cui nomen est *θυμός*, a sola

civitatis imagine contendit originem repetere.[1]) Nam quod ille θυμός, cuius hoc munus est ut effrenatam cupiditatum licentiam increpet atque compescat et prudentissimam saluberrimamque rationis curam adiuvet atque confirmet, parum ei ad veram animi naturam convenire videtur, quis, quaeso, hoc concedat cui ea quam nostri homines honestam iram vocant (edler Zorn) cognita ac perspecta sit? Etenim quo adiutore alio ac ministro nobis libidinum ceterarumque animi perturbationum vis atque impetus frangitur, nisi voluntate ab earum contemptione atque odio profecta? Nam ratio utique, etsi acute cogitare, tamen efficere nihil potest. Ac ne id quidem Krohnius recte contradicit Platonem τὸν θυμόν omnino nunquam facere servientem cupiditatibus rationique adversantem, cum IV 440 C (οὐχ ὅσῳ ἂν γενναιότερος ᾖ) non designari hominem nisi ad honestatem excultum expresse indicetur. Quae cum ita sint, nobis quidem persuasum est illum θυμόν non esse commenticiam et translatam, sed veram naturalemque animi facultatem. Itaque, ut eorum quae modo disputavimus summam faciamus, videtur iam pro certo esse exploratum ex Krohnii quidem ratione ad φύσιν omnia referentis nec reipublicae perfectae ac consummatae discriptionem nec animi formam tripertito divisi ullam cognitionem habere. Quod si verum est, sententia a nobis in exordio huius commentationis (p. 34) exprompta, cum civitatis optimae a secundo libro ad quintum depictae imaginem, quandoquidem ea duobus locis fabulae similis narratio diceretur, negaremus ex se ipsa recte intellegi diiudicarique posse, etiam magis stabilitur et confirmatur. Rem sanequam implicatam ac difficilem ut aliquando enodemus atque ad exitum perducamus, locus ille IV 435 D ante leviter perstrictus iam diligentius videtur examinandus esse.

Itaque Plato cum in eo sit ut animi partes ad civitatis absolutae formam discribantur, praeter sodalium opinionem improviso insistens non posse ait ea quidem quam antea persecuti sint via naturam atque indolem mentis humanae ita patefieri atque exquiri ut homine philosopho dignum sit, sed opus esse in eam rem ampliore quadam atque explicatiore ratione disputandi. Quae

[1]) D. pl. St. p. 52: 'Der θυμός ist kein psychischer Normalfactor, sondern eine psychologische Fiction, die wiederum auf einer politischen Fiction beruht'.

qualis sit tum certe non uberius exponit, sed interiectis demum duobus fere libris cum oratio ad futurorum principum eruditionem disciplinamque accessit, rei ante notatae quasi in transitu memoriam revocans (VI 504 B. D): 'iuvenibus, inquit, si scientiam unam omnium longe optimam praestantissimamque (*μέγιστον μάθημα*) percipere et comprehendere volent, procedendum illa longiore atque impeditiore per artes ac litteras via est quam ante strictim attigimus, quam aut constanti acerrimoque studio ad finem permetientur aut illud summum atque clarissimum numquam mente complectentur.' Et hoc *μέγιστον μάθημα* quod dicitur mox docemur esse ideam boni (VI 505 A); viam autem haec ut cognoscatur ineundam emetiendamque gymnastica et musica educatione, quibus artibus aetas puerilis ad humanitatem informetur, absoluta (IV 521 E—522 C) ferre docetur deinceps per arithmeticam, geometriam, stereometriam, astronomiam, denique musicam eam quae cognatione quadam cum astronomia contineatur (IV 525 A—531 D). Haec autem tanta optimorum studiorum varietas efficit prooemium quoddam artis dialecticae, omnium modo enumeratarum facile summae ac principis. Quae cum tota versetur in eis rebus quae sola mente et cogitatione comprehendi possint neque sensibus subiectae sint, hoc est in communibus rerum notionibus atque ideis illis per se constantibus, aeternis, immutabilibus, certe consentaneum est hac ratione ad extremum ipsam quoque boni ideam, summae virtutis ac perfectionis speciem, in conspectum animi casuram esse (IV 531 D—532 E).

Haec si ad locum IV 435 D, in quo recte interpretando huius quaestionis cardo totus vertitur, rettulerimus, facile occurrent quae animum legentis paullum remorari ac retardare possint.

Primum enim cum ibi non dubium sit quin *μακροτέρᾳ* illi *περιόδῳ* quae dicitur is praestitutus sit finis ultimus ut animi natura atque indoles reconditiore quadam philosophandi via investigetur, posteriore disputatione huic proposito vix ex aliqua parte satisfieri elucet. Quippe continuo per diversissimas artes ac disciplinas cursu confecto non ad rem propositam pervenitur, ut animi humani forma triplex ad philosophiae rationes revocetur, sed ad longe aliud itineris perquam longi ac laboriosi praemium sapientiae studiosi enituntur; ideam boni, aeternam illam omnium

et formarum et rerum quaecunque sunt creatricem ac moderatricem, mente percipiunt et comprehendunt. Verum tamen cum sola hac longiore via aditus ad animi quasi penetralia cognoscenda patere dicatur, fieri non potest quin Platonem in hac re sic sensisse ponamus ut ex boni idea hominis animum perspici atque enucleari voluerit; id quod Schleiermachero (Platos Werke III 1 p. 70, 71) iam dudum visum est, qui idem id consilium non in Politia, sed in eo dialogo qui Timaeus inscribitur ab omni parte perfici recte animadvertit.

Quae sententia non leviter stabiliri etiam eo modo videtur quo philosophus *μακροτέρας περιόδου* ante memoratae (IV 435 D) iterum mentionem inicit VI 504 D; quod quidem illum magis facere quasi in transitu perspicuum est quam ut rem ante desideratam et quodammodo promissam tum revera praestare videatur. Quippe hoc loco non eius expositionis initium fit qua animi natura accuratius ad philosophiae subtilitatem exigatur atque ex sapientiae reconditioris penetralibus repetatur, sed disputatio de *μακροτέρας περιόδου* modo ac ratione a Socrate habita ut a sola iuvenum ad reipublicae administrationem educatione ac disciplina orditur, sic tota eodem referenda est. Neque vero aliter ut statuamus eo adducimur quod in illo sermone etiam mentis ac rationis quattuor diversi quasi gradus discernuntur (l. VI fin. *νόησις, διάνοια, πίστις, εἰκασία*), quos ad animum humanum pertinere non dubium est. Qua re quamquam Prantelius [1]) videtur commotus esse ut Platonem in ipsa Republica promisso stetisse suo censeret, tamen diligentius attendentem et quae IV 435 D scripta sunt examinantem neutiquam praeterire potest non id ibi esse propositum ut de una aliqua et a ceteris seiuncta animi parte subtilius quaeratur, sed ut omnis animi summa atque ambitus ex tribus viribus, ratione ira cupiditate, constans ad certiorem rationem anquiratur atque

---

[1]) Prantl Übersetzung Anmerk. 160: 'Die eigentlich höhere Betrachtung der Theile der Seele und ihrer Functionen, welche der Erkenntnistheorie angehört, erfordert eine längere und tiefere Erörterung, als sie hier ihre Stelle finden kann, . . . und indem daher hier nur in Kürze die Umrisse jener Theile der Seele entworfen werden, welche mehr der Praxis des Lebens und des Staates angehören, bleibt die Erörterung des Intelligiblen auf einen spätern Abschnitt vorbehalten; es folgt nämlich dieselbe unten B VI cap. 16 ff.'

exploretur. Quod cum in Reipublicae libris posterioribus nusquam ita fieri nemo intellegens ignoret, eidem instituto plane satisfacere Timaeum dialogum in eadem tetralogia locum ab illa proximum eumque secundum obtinentem paucis explicare iuvat.

Ac primum quidem disputatio in eo exhibita omnis ab idea boni ut cognoscendi initio atque boni rectique lege stabili, firma, rata proficiscitur, idque cum per totum sermonem (46 C. 48 A. 53 B. 92 B finis) clarissime apparet, tum imprimis notabilis est is locus qui legitur in principio (30 B sequ.). Etenim Platonis ille opifex aedificatorque mundi (qui ut cum optimi specie plane congruere iudicetur luculente Zellerus postulare rationis et disciplinae constantiam exponit l. l. p. 596), cum sit bonus, bonus autem nemini invideat, omnia sui similia generare cupiens rerum universitatem facit ex materia et animo per universam naturam pariter intento et commeante. 'Fas autem nec est nec unquam fuit quidquam nisi pulcherrimum facere ei qui esset optimus. Cum igitur rationem habuisset, reperiebat nihil esse eorum quae natura cernerentur inintellegens intellegente in toto genere praestantius; quocirca intellegentiam in animo, animum inclusit in corpore: sic ratus est opus illud effectum esse pulcherrimum.' (Ciceronis Timaeus cap. 3). Atque hoc cum de mundo dicatur, sequitur ut idem cadat in naturam humanam; quae, quandoquidem ut mundus ex divina ratione et materia, sic ipsa ex animo et corpore constat, illius esse quasi quoddam imitatum et effictum simulacrum videtur. Quo cum iudicio reliqua oratio aptissime convenit. Ille enim creator mundi deus postquam eos quos Graeci *δαίμονας* appellant genuit, his deinceps imperat ut deorum immortalium quasi gentiles homines creent, eorumque initium satumque eis tradit ut ita aeternae parti attexant mortalem. Quod quam pulchre omnibusque numeris perfecte exsequantur deinde copiosa et ornata oratione exponitur (69 C). Namque ut Ciceronis verbis utar (Tusc. I 20), 'triplicem fingunt animum, cuius principatum, id est rationem, in capite sicut in arce ponunt, et duas partes ei parere volunt, iram et cupiditatem, quas suis locis (hoc est naturae suae accommodatissimis) iram in pectore, cupiditatem subter praecordia locant.' Cupiditates autem qui ratione rexerint iuste vivent, qui autem iis se dederint iniuste (42 B. 70 B). Porro cum duo sint rerum genera

species (*ἰδέαι*) et res ad eas generatae, quibus in Timaeo tertium adiungitur spatium (*χώρα*) corpora in se recipiens (52 A), atque illae, ut per se constantes, immutabiles, aeternae, sola mente et cogitatione, hae, ut inconstantes, fluxae, fragiles, opinatione ac sensibus comprehendantur, sapientem decet his contemptis illas summo amore ac studio amplexari, ut naturae divinae quam fieri possit simillimus exsistat (90 B C).

His igitur cum satis arbitremur aperuisse Timaeum dialogum revera praebere subtiliorem illam et ex summi boni specie aptam de animo humano doctrinam quam ut unam veram atque ex omni parte absolutam Plato in Politia requisiverit, ita denique totam hanc concludere quaestionem in animo est ut ad extremum qualis inter Timaeum et duos Reipublicae locos in hac disputationis parte agitatos (IV 435 D. VI 505 A) necessitudo intercedat brevi praecidamus. Ponimus autem eam esse eiusmodi ut animi ac virtutis accuratius ad philosophiae subtilitatem exigendae ratio primo quidem loco ostentetur tantum atque ut quae una recta sit et idonea postuletur, altero deinde qualis sit explicetur atque illustretur uberius, in Timaeo denique eadem suscipiatur atque ad animi naturam exquirendam adhibeatur.

Ac de Politia et Timaeo artissime cohaerentibus atque coniunctis satis dictum est. Liceret igitur hic quaestionis rivulos claudere et id quod ex disputatione nostra efficitur, ut Plato quo tempore quartum Politiae librum scripserit species iam animo comprehendisse iudicandus sit, pro certo sumere, nisi essent a Krohnio non pauca in contrariam partem disputata quae ante confutentur a nobis ac reiciantur necesse est quam sententia nostra stare possit.

Ac primum quidem confidentissime ille negat quae IV 435 D quasi in transitu attingatur *μακροτέρα περίοδος* eandem esse atque in libro sexto septimoque copiosius explicatam (cf. 'Der platon. St.' p. 128, 144); prorsus enim esse utriusque diversum atque contrarium munus. Nam cum illa hoc agatur ut tripertita animi in rationem, iram, cupiditatem divisio subtilius ad evidentiam adducatur, hac tantum abesse ut tali consilio satisfiat, ut quattuor introducantur novae mentis humanae facultates (*γνῶσις, διάνοια, πίστις, εἰκασία*) quae cum tribus in libro quarto prolatis non modo nihil habeant commune, sed eas etiam funditus evertant ac deleant.

Hinc vero ait esse consequens ut Plato quo loco primum de longiore disputandi via memoraverit nondum planam certamque eius informationem animo concepisse existimandus sit. Cui opinioni vel hoc maxime refragari putamus quod IV 435 D et VI 504 B, ubi rei mentio fit, tam aperte concinunt ut ipsa verba paene eadem sint.[1] Ex quo cum satis appareat Platonem utroque loco rem voluisse unam eandemque designare, profecto necesse est unum sit de duobus: aut enim philosophus mirae cuiusdam ac paene incredibilis insipientiae coarguitur, quippe qui duas res maxime contrarias confuderit ac permiscuerit, aut operis Platonici iudex ipse inconsiderate ac praepostere in hac causa existimavisse censendus est. Quorum utrum placeat iam videbimus.

In extremo igitur libro sexto quattuor Plato distinguit rerum genera, quibus totidem agitationes animi respondentes facit. Etenim ideas puras et a sensibus seiunctas intellectu sive *νοήσει* intuemur, earum imagines sub sensus cadentes vel formas geometricas *διανοίᾳ* cognoscimus, res oculis subiectae *πίστει*, denique harum vel imagines vel umbrae coniectura sive *εἰκασίᾳ* percipiuntur. His quattuor et rerum et cognoscendi gradibus cum universum cognitionis humanae ambitum contineri appareat, quid impedit quin eos etiam uno *τοῦ λογιστικοῦ* nomine comprehendamus? Nam quod Krohnius huic adversatus sententiae (d. pl. St. p. 99) *τὸ λογιστικόν* in libro quarto tractatum in rebus bonis tantum malisque diiudicandis versari (*ἀναλογιζόμενον περὶ βελτίονος καὶ χείρονος*, IV 441 C) immoderatamque cupiditatum licentiam compescere (*τὸ ἀνθέλκον, κωλῦον* IV 439 B. C), neque vero rerum vere constantium aut sensibus subiectarum ullam habere distinctionem contendit, possunt certe afferri non pauca quibus contraria ratio vel maxime commendetur.

---

[1]) Cf. IV 435 D. *Καὶ εὖ γ' ἴσθι, ὦ Γλαύκων, ἀκριβῶς μὲν τοῦτο ἐκ τοιούτων μεθόδων οἵαις νῦν ἐν τοῖς λόγοις χρώμεθα οὐ μή ποτε λάβωμεν· ἀλλὰ γὰρ μακροτέρα καὶ πλείων ὁδὸς ἡ ἐπὶ τοῦτο ἄγουσα· ἴσως μέντοι τῶν γε προειρημένων τε καὶ προεσκεμμένων ἀξίως* et VI 504 B. *Ἐλέγομεν που ὅτι ὡς μὲν δυνατὸν ἦν κάλλιστα αὐτὰ κατιδεῖν ἄλλη μακροτέρα εἴη περίοδος, ἣν περιελθόντι καταφανῆ γίγνοιτο, τῶν μέντοι ἔμπροσθεν προειρημένων ἑπομένας ἀποδείξεις οἷόν τε εἴη προσάψαι.*

. Primum quidem etsi in libro quarto ratio (sic enim *τὸ λογιστικόν* interpretamur) praecipue eam vim habere videtur ut de bonis rebus et malis quaerens ipsam *οὐσίας* cognitionem omnino non curet, tamen minime ex eo effici concedimus quod Krohnius haud cunctanter conclusit, ut et plura de eius natura et agitatione Plato tum dicere nesciverit et hunc locum totum ad exitum esse perductum voluerit. Quasi vero non ipsi quattuor Politiae libri primi, quibus animi humani natura eiusque partes tractantur, huius argumenti amplitudine ostendant maiorem quandam obversatam esse philosopho facultatem mentis quam solam libidinum moderationem et notionem honesti. Quid vero? Indidem quod ratio duabus partibus, irae et cupiditati opponitur, nonne apparet philosophum ei non modo de honestate iudicium, sed quaecunque ad mentem hominis et cogitationem pertineant tanquam suam provinciam destinavisse? Sed licet ratio in libro quarto vim habeat praecipue moralem nec sublimiorem *τοῦ ὄντος* scientiam aperte sequatur, num in posterioribus libris alio videtur mentis acies esse intenta nisi in virtutis et honestatis ideas, ad quas ingenia ac mores quam maxime conformentur atque excolantur (cf. V 476 A. B. 479 A. E. VI 493 C. 500 C. D)? Namque aliud formarum genus ne nominari quidem meminimus. Ex quo cum intellegatur nobilissimam illam animi vim tota Politia occupatam dici in exquirendis bonis rebus et malis, dehinc quaeritur liceatne longius progredientes rationem ubique eandem esse natura nec mutari ulla ex parte aut ad perfectiorem evehi statum contendere. Quod ita esse Krohnius constanter negans sic fere argumentatur (d. pl. Frage p. 37): Ante quinti libri finem omnem desiderari reconditiorem *οὐσίας* doctrinam, dominari *φύσιν* et in quo ea sit *τὸ γιγνόμενον*, nullum fieri nisi inter scientiam et inscientiam discrimen, quae quidem sit a Socrate quasi hereditate accepta ratio, atque tantum abesse ut opinio inferiorem locum obtinens scientiae opponatur, ut paene eadem qua illa auctoritate utatur. In quinto demum libro extremo subtiliorem incipi de rerum veritate disputationem, ac tum demum res vere constantes et earum sensibus subiectas imagines discerni, unde etiam fieri ut opinionis nomen sua ac propria vi praeditum introducatur atque ut res plane nova cum magna orationis copia explanetur. Ut igitur rei summam brevi complectar, offendit ille in eo potissimum quod vox opinionis,

cum in priore Politiae parte scientiae admodum cognata sit, in posteriore ei dissimillima maximeque contraria evadat, ita ut in sexto et septimo libro illa ante frequentissima *ὀρθὴ δόξα* nusquam inveniatur.

Haec a Krohnio cum eloquenter quidem, sed nonnunquam cum nimia subtilitatis affectatione ita exposita sint ut summae confidentiae speciem prae se ferant, vehementer veremur ne nonneminem ad viri facundi sententiam traduxerint. Sed inveniuntur quibus aliter sentire cogamur. Nam ut illud quidem praetermittam Platonem in priore operis parte *τὰ ἀληθῶς ὄντα* et *τὰ δοξαστά* his contraria idcirco non attigisse quia primario consilio sibi proposito, ut optimae civitatis discriptio quaeratur et in singulos homines conferatur, perficiendo omnia postposuerit, nequaquam tantam esse primorum a reliquis libris in illa re discrepantiam quanta illi videatur haud difficile ad probandum est. Etenim *δόξα* illa recta quae dicitur, etsi ante librum sextum scientiae plerumque aequatur (d. pl. Fr. p. 38), tamen indagasse nobis videmur vestigium quo posteriorem nominis usum iam in quarto libro quodammodo praeoccupatum esse appareat. Ad definiendam enim iustitiam et iniustitiam haec Socrates disputat (IV 443 C): *Τὸ δέ γε ἦν ἄρα, ὦ Γλαύκων, δι' ὃ καὶ ὠφελεῖ, εἴδωλόν τι τῆς δικαιοσύνης, τὸ τὸν μὲν σκυτοτομικὸν φύσει ὀρθῶς ἔχειν σκυτοτομεῖν καὶ ἄλλο μηδὲν πράττειν, τὸν δὲ τεκτονικὸν τεκταίνεσθαι, καὶ τἆλλα δὴ οὕτως. Φαίνεται. Τὸ δέ γε ἀληθὲς τοιοῦτο μέν τι ἦν, ὡς ἔοικεν, ἡ δικαιοσύνη, ἀλλ' οὐ περὶ τὴν ἔξω πρᾶξιν τῶν αὑτοῦ, ἀλλὰ περὶ τὴν ἐντὸς ὡς ἀληθῶς περὶ ἑαυτὸν καὶ τὰ ἑαυτοῦ, μὴ ἐάσαντα τἀλλότρια πράττειν ἕκαστον ἐν αὑτῷ μηδὲ πολυπραγμονεῖν πρὸς ἄλληλα τὰ ἐν τῇ ψυχῇ γένη, ἀλλὰ τῷ ὄντι τὰ οἰκεῖα εὖ θέμενον καὶ ἄρξαντα αὐτὸν αὑτοῦ καὶ κοσμήσαντα . . . τρία ὄντα . . . καὶ εἰ ἄλλα ἄττα μεταξὺ τυγχάνει ὄντα, πάντα ταῦτα ξυνδήσαντα καὶ παντάπασιν ἕνα γενόμενον ἐκ πολλῶν, σώφρονα καὶ ἡρμοσμένον, οὕτω δὴ . . . ἡγούμενον καὶ ὀνομάζοντα δικαίαν μὲν καὶ καλὴν πρᾶξιν ἣ ἂν ταύτην τὴν ἕξιν σῴζῃ τε καὶ ξυναπεργάζηται, σοφίαν δὲ τὴν ἐπιστατοῦσαν ταύτῃ τῇ πράξει ἐπιστήμην, ἄδικον δὲ πρᾶξιν ἣ ἂν ἀεὶ ταύτην λύῃ, ἀμαθίαν δὲ τὴν ταύτῃ αὖ ἐπιστατοῦσαν δόξαν.* Quem locum nos quidem non uno nomine dignum putamus qui diligentius examinetur. Neque enim

hoc tantum habet proprium ac peculiare ut virtutem cum in scientia, iniustitiam in inscientia ponat eamque nihil aliud intelligi nisi opinionem velit, hanc a vera cognitione prorsus eodem modo disiungat quo postea, sed etiam aperte docet, cum Plato scientiam et inscientiam inter se ita opponat ut hanc pro opinione habeat, non opus esse huius rationis a Socrate originem repetere. Cum igitur *δόξης* iam in quarto libro eadem inveniatur atque in sexto notio, in posterioribus invicem libris opinionem illam rectam non plane evanuisse[1]) duo testantur loci (VI 499 E): *Ὦ μακάριε, ἦν δ' ἐγώ, μὴ πάνυ οὕτω τῶν πολλῶν κατηγόρει· ἀλλοίαν*[2]) *τοι δόξαν ἕξουσιν, ἐὰν αὐτοῖς μὴ φιλονικῶν ἀλλὰ παραμυθούμενος καὶ ἀπολυόμενος τὴν τῆς φιλομαθίας διαβολὴν ἐνδεικνύῃ οὓς λέγεις τοὺς φιλοσόφους*, cui loco finitimus est alter: *ἢ καὶ ἐὰν οὕτω θεῶνται, ἀλλοίαν τε φήσεις αὐτοὺς δόξαν λήψεσθαι καὶ ἄλλα ἀποκρινεῖσθαι*; quorum utroque *δόξαν ὀρθὴν* sive *ἀληθῆ* designari neminem paullum attendentem fallere potest. Neque minus hoc animadvertendum est, in sexto et septimo libro identidem usurpari vocem *δόγμα*, quae ad veram opinionem proxime accedit (cf. VI 503 A. 506 B. VII 583 C: *ἔστι που ἡμῖν δόγματα ἐκ παίδων περὶ δικαίων καὶ καλῶν ἐν οἷς ἐκτεθράμμεθα ὥσπερ ὑπὸ γονεῦσι, πειθαρχοῦντές τε καὶ τιμῶντες αὐτά*). Haec autem *δόγματα* et a sublimi philosophiae *οὐσίας* cognitione abhorrere neque tamen vanas esse opinationes ultimum exemplum a nobis laudatum demonstrat.

His locis nonnulla alia testimonia adiungimus quibus *τῷ λογιστικῷ* Platonem ab initio universam mentis cogitationem comprehendisse confirmetur. Ac primum quidem non alienum videtur esse monere philosophum res ante incohatas tantum obiterque perstrictas occasione oblata postea nonnunquam denuo tractavisse et uberius explicavisse, eamque rem cum multa sunt quae testificentur, tum imprimis memorabilem ducimus disputationem eam quae de cupida animi parte habetur l. VIII cap. 12 et IX cap. 1.

---

[1]) Quod Krohnius confidenter sane statuit (d. pl. St. p. 98).

[2]) Libri *ἀλλοίαν*. Hermannus *ἀλλ' οἵαν* sine necessitate recedens ab optimorum et plurimorum librorum scriptura. Nam quod eadem sententiae contrariae vox proxime (*ἀλλοίαν τε φήσεις αὐτοὺς δόξαν λήψεσθαι*) adhibetur nihil valet, cum sic quoque vim suam servet.

Cui mentis facultati cum ut suum ac peculiare officium hoc unum antea (l. IV) impositum esset ut rationis et irae imperio obtemperans omnis libidinis vim atque impetum coerceret, his quidem locis tria etiam discernuntur cupiditatum genera (*ἀναγκαῖοι, μὴ ἀναγκαῖοι, παράνομοι*), quorum quod sit necessarium et naturale, velut escae et potionis desiderium, satiari et explere, cetera comprimere atque restinquere deceat. Itaque cum infimam animi vim eam fortunam habuisse videamus ut incohata magno demum intermisso spatio plene explicaretur, quid nos, quaeso, impedit quin idem statuamus nobilissimae mentis facultati, rationi, accidisse. Neque opponi potest quattuor illas cogitationes, *πίστιν εἰκασίαν, διάνοιαν, νόησιν*, una ratione non contineri, quod earum unaquaeque a Platone propria appelletur facultas (d. pl. St. p. 96). Nam hoc quam leve sit ut ostendatur, sufficit ad *ἐπιθυμητικόν* illud quod modo memoravimus iterum provocare. Id enim tam multa ac diversa rerum genera appetere constat ut ea vix dinumerare possis. Quorum tamen generum aliud alia percipi facultate nemo ignorat; velut amoris libido multo aliter ac cibi vel potus desiderium expletur; nam si quibus illam persequi natura negavit, velut infantibus vel spadonibus, tamen his quin satientur nulla res impedit. Unde luce clarius apparet alia vi opus esse ut amoris, alia ut edendi vel potandi voluptate fruamur. Nam si utramque una eademque vi perciperent homines, non possent altera frui, carere altera. Sed haec facultatum vel virium varietas, quibus abundantia voluptatum percipitur, nihilo minus una *τοῦ ἐπιθυμητικοῦ* voce comprehenditur, ita ut idem posse in Platonis illud *λογιστικόν* cadere sponte sequatur. Sed accedit, id quod caput est, ut philosophus ipse has quattuor quas commemoravimus mentis agitationes ex uno eodemque tamquam fonte manasse expresse doceat illa elegantissima imagine ab antro subterraneo ducta (VII 514 A—517 B). Namque ut illic homines ab antri umbris in lucem educti verorum corporum solisque aspectum paulatim ferre discunt, ita ut primo umbras, deinde repercussas in aquis hominum et animalium imagines conspicere assuescant, tum quae in coelo sunt et coelum ipsum noctu contemplentur, denique corroborata oculorum acie ipsum intueantur solem, in quibus omnibus una oculorum opera utuntur, sic vis inveniendae veritatis non potest

ulla arte effici et caecae tamquam menti inseri, sed natura in unoquoque animo inest omnisque scientiae comparandae via in hoc uno sita est ut mens a rebus fluxis ac mutabilibus avocata ad summi illius boni et idearum constantiam intuendam convertatur. Quam sententiam Plato expressit his verbis (VII p. 518 D): *Τούτου τοίνυν, ἦν δ' ἐγώ, αὐτοῦ τέχνη ἂν εἴη τῆς περιαγωγῆς, τίνα τρόπον ὡς ῥᾷστά τε καὶ ἀνυσιμώτατα μεταστραφήσεται, οὐ τοῦ ἐμποιῆσαι αὐτῷ τὸ ὁρᾶν, ἀλλ' ὡς ἔχοντι μὲν αὐτὸ οὐκ ὀρθῶς δὲ τετραμμένῳ οὐδὲ βλέποντι οἷ ἔδει, τοῦτο διαμηχανήσασθαι.* His ubi adiunxerimus quae paulo infra (519 A) sequuntur: *ἢ οὔπω ἐννενόηκας τῶν λεγομένων πονηρῶν μέν, σοφῶν δὲ ὡς δριμὺ μὲν βλέπει τὸ ψυχάριον καὶ ὀξέως διορᾷ ταῦτα ἐφ' ἃ τέτραπται, ὡς οὐ φαύλην ἔχον τὴν ὄψιν, κακίᾳ δ' ἠναγκασμένον ὑπηρετεῖν, ὥστε ὅσῳ ἂν ὀξύτερον βλέπῃ, τοσούτῳ πλείω κακὰ ἐργαζόμενον*, clarissime elucebit Platonem unam dicere rationem, quae, prout rebus humanis libidinumque licentiae indulgeat (*δόξα*) aut ad aeternas idearum formas contemplandas se conferat (*γνώμη*), optimum aut pessimum hominem reddat. Atque hic ne quem forte subeat dubitatio num ea quae de improbi hominis acumine dicantur ad *δόξαν* pertineant, examinet is accuratius, si placet, insequentia: *Τοῦτο μέντοι, ἦν δ' ἐγώ, τὸ τῆς τοιαύτης φύσεως εἰ ἐκ παιδὸς εὐθὺς κοπτόμενον περιεκόπη τὰς τῆς γενέσεως ξυγγενεῖς ὥσπερ μολυβδίδας, αἳ δὴ ἐδωδαῖς τε καὶ τοιούτων ἡδοναῖς τε καὶ λιχνείαις προσφυεῖς γιγνόμεναι κάτω στρέφουσι τὴν τῆς ψυχῆς ὄψιν· ὧν εἰ ἀπαλλαγὲν περιεστρέφετο εἰς τἀληθῆ, καὶ ἐκεῖνα ἂν τὸ αὐτὸ τοῦτο τῶν αὐτῶν ἀνθρώπων ὀξύτατα ἑώρα, ὥσπερ καὶ ἐφ' ἃ νῦν τέτραπται;* nam quae *κάτω στρέφουσι τὴν τῆς ψυχῆς ὄψιν* et *τοῖς ἀληθέσι* contraria sunt opinionum vice fungi nemo negabit.

Quae cum ita sint, una est ratio (*λογιστικόν*) vel vis mentis quae omnia quaecunque aut sunt aut videntur aut scientia aut opinione comprehendit. Eadem, prout res quae eius sunt subiectae cognitioni diversae sunt, ipsa quoque diverse nominatur. In umbras enim vel imagines rerum cum intenta est, *πίστις* vocatur, in res ipsas *εἰκασία*, formas geometricas percipiens *διάνοια* dicitur, aeternas denique rerum species contemplans *γνώσεως* nomine appellatur.

Videtur igitur non iam posse negari quattuor novas a Platone inductas mentis facultates de quibus modo disputavimus non solum cum *λογιστικῷ* convenire, sed eius etiam proprias esse partes agitationesque iudicandas. Nec philosophum, cum eas constitueret, de priore animi forma triplici evertenda atque tollenda cogitavisse eo poterat cognosci facilius quod ad duas animi partes, *θυμοειδές* et *ἐπιθυμητικόν*, illae nullo modo pertinent, unde has illis aboleri ne potuisse quidem apparet. Deinde longe absumus ut Krohnio, ridiculum arbitranti [1]) ita *τοῦ θυμοειδοῦς* officium in eo cerni ut modo geometriae extremitatibus et quasi libramentis modo ideis se praebeat adiutorem ac ministrum, ullo modo assentiamur. Etenim ne pertinet quidem ad geometriam *τοῦ θυμοῦ* ministerium. Qui cum ab inimica cupiditatum lascivia defendat quaecunque a ratione bene, honeste, pie mandata sunt (cf. IV 440 B C D E), mens autem bonum, honestum, pium quid et quale sit non possit e geometricis figuris, sed solis virtutum formis diiudicare et cognoscere, procul dubio sequitur ut non geometriae, sed idearum veritati oboediat. Hoc autem mire ac praeter opinionem accidere Krohnio eo minus largiemur quod Plato non ponit verum nisi in ideis.

Deinde quod Krohnius in primis libris psychologica (*φύσις* et *τὸ γιγνόμενον*) valere, sexto et septimo nihil nisi metaphysica contineri et solum *τὸ ὄν* in honore esse dicit, non omni haec lex exceptione vacat. Immo in his quoque et innata indoles (*φύσις*) et cultus atque conformatio eius, quam quidem partem esse *τοῦ γιγνομένου* nemo negabit, non parvi aestimantur. Quid? Nonne sexcenties a natura et ingenio cuiusque omnem pendere philosophiae studii fructum significatur? Quorum quidem tanta est locorum copia ut longum sit omnes enumerare.[2]) Nonne VI 490 E — 495 A de corruptela ingenii ad philosophandum apti dicitur? In qua disputatione imprimis ad nostram sententiam idonea est clarissima hominis cum planta comparatio. Locum quin adscribam abstinere

---

[1]) Cf. d. pl. St. p. 144: 'Es würde doch eine seltsame Allianz werden, wenn sich der *θυμὸς* auf die Seite der Flächen und intelligiblen Ideen stellte.'

[2]) Cf. imprimis VI 485 A: *τὴν φύσιν αὐτῶν πρῶτον δεῖ καταμαθεῖν*, 486 A. 490 B C E. 491 D. 492 B. 494 B. VII 514 A. 519 A C. 520 B. 526 C. 538 C 540 B.

non possum: *Παντός, ἦν δ' ἐγώ, σπέρματος πέρι ἢ φυτοῦ, εἴτε ἐγγείων εἴτε τῶν ζώων, ἴσμεν ὅτι τὸ μὴ τυχὸν τροφῆς ἧς προσήκει ἑκάστῳ μηδ' ὥρας μηδὲ τόπου, ὅσῳ ἂν ἐρρωμενέστερον ᾖ, τοσούτῳ πλειόνων ἐνδεῖ τῶν πρεπόντων· ἀγαθῷ γάρ που κακὸν ἐναντιώτερον ἢ τῷ μὴ ἀγαθῷ. Πῶς δ' οὔ; Ἔχει δή, οἶμαι, λόγον τὴν ἀρίστην φύσιν ἐν ἀλλοτριωτέρᾳ οὖσαν τροφῇ κάκιον ἀπαλλάττειν τῆς φαύλης. Ἔχει. Οὐκοῦν, ἦν δ' ἐγώ, ὦ Ἀδείμαντε καὶ τὰς ψυχὰς οὕτω φῶμεν τὰς εὐφυεστάτας κακῆς παιδαγωγίας τυχούσας διαφερόντως κακὰς γίγνεσθαι; ἢ οἴει τὰ μεγάλα ἀδικήματα καὶ τὴν ἄκρατον πονηρίαν ἐκ φαύλης, ἀλλ' οὐκ ἐκ νεανικῆς φύσεως τροφῇ διολομένης γίγνεσθαι, ἀσθενῆ δὲ φύσιν μεγάλων οὔτε ἀγαθῶν οὔτε κακῶν αἰτίαν ποτὲ ἔσεσθαι;* Haec qui legit, opinor, id primum intelleget *φύσιν* esse non minus quam ante totius orationis fundamentum, quamquam non omnes omnium naturae et ingenia, et sutoris et agricolae et medici et iudicis et militis, sed una philosophi indoles qualis esse debeat in disputationem venit. Deinde ne id quidem eum fugiet quod maximi momenti ad excolendum aut corrumpendum philosophi ingenium esse educatio aut apta aut prava dicitur. Praeterea corporalia sensibusque subiecta non vere esse, sed opinione tantum percipi etsi inde a libri quinti capite vicesimo persaepe exponitur, tamen ne sic quidem tam parvi ducuntur quam ille putat. Cuius rei documento est quod omnium quae ad philosophiae studium animos praeparant atque informant artium, arithmeticae, geometricae, astronomicae, etiam ad rem bellicam utilitates atque commoda nominatim memorantur (cf. VII 522 E. 525 B. 526 C. 527 D). Quid denique tota hac philosophia aliud expetitur nisi ut civitas quam maximam consequatur felicitatem (cf. VII 519 E 521 A et 517 C)? Quae cum ita sint quomodo Krohnii opinio stare possit contendentis posteriore operis parte *τὸ γιγνόμενον* et *τὴν φύσιν* contemni ac despici, ego non intellego.

Restat unum. Dicit enim vir doctus (d. pl. St. p. 128 et 144) fugere se illam a Platone IV 435 D commendatam *μακροτέραν καὶ πλείω περίοδον* qualem esse divinus philosophus voluerit, praesertim cum dialectica quae dicatur ratione intellegi nullo modo possit. Quod his argumentis confirmare studet: In libro sexto Platonem illam *μακροτέραν περίοδον* ineuntem incidere in quattuor illa quae

iam p. 80 enumeravimus rerum genera ac quasi gradus, a quibus omnibus humana mens (ψυχή) pariter discedat, ut nulli eorum adnumerari possit. Hinc vero ait esse consequens ut neque dialectica ratione de natura animi disputari queat nec philosophus utroque loco (IV 435 D et VI 504 B. D) illius explicatioris viae eandem habuisse informationem censendus sit. Illam enim summam disserendi artem, cum in solis rerum formis versetur, nihil valere ad explorandum animum humanum, qui secundum Platonem idea non sit. Itaque consectarium dicit philosophum cum primum (IV 435) *μακροτέραν περίοδον* qua animi natura certius exquiratur attigerit, nondum expressam eius atque omni numero exploratam imaginem, utique non eandem quam postea descripserit, mente concepisse.

Huius argumentationis a nobis in brevius contractae partem quidem non dubitamus approbare. Vere enim Krohnius de animo humano ait ratione dialectica nihil certi cognosci posse. Quamquam nos hoc multo alia de causa concedimus. Ille enim argumentum inde ducit[1]) quod Plato, cum in libro quarto etiamtum idearum ignarus fuerit, ne disserendi quidem rationem illam ex idearum cognitione aptam quam in posterioribus sequatur libris iam tenere potuerit. Nos contra propria animi vi et natura nitimur. Etenim 'Plato animum in duas partes dividit, alteram rationis participem, alteram expertem; in participe rationis ponit tranquillitatem, in altera motus turbidos cum irae tum cupiditatis' (Cic. Tusc. IV 10). Et nobilior principalem et a deo genitam et aeternam ideaeque simillimam animi naturam continet, cui in corpus introeunti adicitur altera eaque deterior, quae et iram et cupiditatem complectitur et una cum corpore interit. Itaque cum ne optima quidem animi pars cum idea plane congruat, reliquae autem ab ea longius recedant, profecto apparet, si de animi ratione et origine quaeratur, cum solae ideae vere et sint et cognoscantur, non posse in eiusmodi disputatione nisi opinionem ac verisimilitatem inesse, scientiam ac veritatem omnino deesse; id quod Timaeus in sermone eodem nomine inscripto luculenter et copiose explicat (p. 29). Haec igitur causa est quod in hoc dialogo qui reconditiorem animi

---

[1]) Cf. d. pl. St. p. 128: 'Jedoch die dialectische Methode war es nicht, schon daher nicht, weil es damals noch gar keine Ideen gab.'

explicationem a Platone in Republica desideratam exhibet, philosophus non disserendi ratione utitur, sed enarrandi genus fabulae simile adhibet.

Sed ne in re satis nota multi simus, videtur iam pro certo esse exploratum Platoni, cum *μακροτέραν περίοδον* opus esse diceret, hoc maxime propositum fuisse ut animi humani natura et ratio ex summi boni specie explicaretur. Boni autem ideam cum sine longinqua per mathematicam ac dialecticam via posse cognosci neget, opus est sane diligentissima ad philosophiam institutione, qualis in sexto et septimo libro ante oculos ponitur. Quamquam vero is qui optimi speciem comprehendere eamque contemplatus animi vult naturam pernoscere ut dialecticae rationis sit peritissimus necesse est, tamen ipsa vis animi atque origo, cum corpori mixtus ab idearum unitate ac simplicitate desciverit, tantum abest ut disserendi subtilitate exponatur, ut non possit nisi fabulae similitudine explanari.

Refutavisse nobis iam omnia videmur quaecunque sunt a Krohnio de *μακροτέρᾳ* illa *περιόδῳ* Platonis allata. Cui cum et in posterioribus Politiae libris disputata et in Timaeo narrata convenientissime respondeant, non iam cunctamur facere, id quod ab initio nobis erat propositum, ut ex loco IV 435 concludamus Platonem, cum quartum de Republicae librum scriberet, idearum iam plenam habuisse cognitionem. Quo concesso subversa est Krohnii opinio. Nam si Plato ab initio Reipublicae idearum doctrinam tenuisse iudicatur, non iam duas esse Politiae partes et argumento et temporibus secum dissentientes atque dissociabiles statuere licet.

Iam vero redeamus ad ea de quibus antea nobis non satis firmatum esse iudicium videbatur (cf. p. 24). Et illud quidem iam tum nobis constabat nec reipublicae a Platone fictae causam et originem in una inveniri natura et indole humana neque animi humani genus tripartitum, ut firmiter consisteret, e civitatis optimae similitudine esse repetendum (p. 23). Nec dubitabamus utriusque principium et causam idea boni iustique contineri e VI 500 B C D fidenter concludere. Sed hoc quamvis haberemus persuasum, neutiquam tamen licebat pro explorato sumere, dum Krohnium, qui omnem priorum Reipublicae librorum

cum ideis cohaerentiam et coniunctionem plane tolleret, confutavissemus. Quod iam satis videtur effectum esse. Nam animus quidem tripartito divisus quin in idea boni omnia moderante atque adornante consistat nulla profecto est dubitatio. Atque haud scio an recte iudicaturus sim, si contra ac Krohnius voluit (d. pl. Fr. p. 3) non civitatis conformationem ad animum (quem suo fundamento eoque firmissimo uti scimus), sed animi discriptionem ad rempublicam dicam traductam esse, ut illius quasi quaedam grandior ac magnificentior imago exsistat. Nimirum si vere Krohnius principale Platonis consilium versari in eo ponit ut natura animi e civitatis forma atque haec invicem ex illa explicetur et aperiatur, vehementer veremur ne huius rationis facile quispiam duplex mendum reprehendat, unum quod in circulo quodam versetur, alterum quod respublica prius depingatur quam animus humanus, in quo tamquam fundamento consistat.[1]) Horum alterum quidem etiam nunc manet, prius certe tollitur. Quam sententiam ita optime stabiliemus, si in perfecta civitate boni speciem non minus quam in singulis animis expressam cerni paulo copiosius exposuerimus.

Est vero idearum illa longe summa ac princeps ita comparata ut, quamvis a mera sensuum voluptate abhorreat,[2]) tamen omnibus rebus suam bonitatem atque utilitatem praebeat, id quod clarissime ostenditur his verbis VI 505 A: *ἐπεὶ ὅτι γε ἡ τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέα μέγιστον μάθημα πολλάκις ἀκήκοας, ᾗ καὶ δίκαια καὶ τἆλλα προσχρησάμενα χρήσιμα καὶ ὠφέλιμα γίγνεται.* Quod reputanti nonne statim in mentem venit praeclarissimae vocis a Platone non semel (IV. 420 B. 421 B. VII 519 E. VI 500 D) usurpatae qua non eum ait extremum esse propositum civitati finem ut unus aliquis ordo praeter ceteros floreat, sed ut aeque omnes quam maxima felicitate fruantur? Atque in civitate ab eo excogitata quae inhumane ac crudeliter sancita offendunt, nonne indidem omnia veniam habent quod aliter cum salute publica fieri non posse videbatur? Si enim homines scelesto ingenio eoque parum emendabili praediti, ne scilicet vinculis tenendi suis civibus moras et impensas afferant, nulla dubitatione interposita supplicio affi-

[1]) Similiter Stallbaumius proleg. p. 44.

[2]) Cf. Phileb 53 C.

ciuntur (III 410 A), vel si dura medicorum crudelitate morbosi et imbecilli deseruntur exitioque relinquuntur (III 406), quia eis qui suis officiis diligenter operam dent, ne tempus quidem ad aegrotandum supersit, quid aliud philosophum his praeceptis esse secutum censes quam commune civitatis commodum ac salutem? Eodem autem pertinere quod mulieres nuda corpora exercitant et virorum modo luctantur (V 452 A) et quod liberi ab aetate provectis geniti exponuntur (V 460 C, 461 C), quis est quin sponte intellegat. Denique ut diligentissime praecaventur et evitantur quaecunque civitati officere ac nocere possint, sic omnia ad maximam civium felicitatem dirigenda esse atque bonum cum utili prorsus congruere multis locis (II 379 B. III 386 C. V 457 B C D E. 458 B E. 461 A. 462) affirmatur.

Sed pergimus ad ideam iusti, quam et ipsam in consummatae civitatis forma ac specie effictam videbimus. De qua re imprimis animadvertendum est eandem trium partium rationem non solum in animo et civitate, sed etiam in rerum universitate cerni (cf. Zeller l. l. p. 767). Nam hic quoque idearum vel rationis dominatio in corpora per animos exercetur. Hoc qui consideraverit, negare vix poterit illam triplicem ternarum partium convenientiam concentumque nihil esse aliud nisi iusti speciem atque imaginem [1]) in animo, civitate, mundo effictam, quod de civitate se ita habere iam supra ex VI 500 D collegimus. Profecto reipublicae discriptionem si e contentione cum anima et mundo facta fluxisse hac ratione confirmatum erit, facile singulorum ordinum quae sunt non dignitatis tantum atque auctoritatis publicae, sed etiam doctrinae et humanitatis discrimina et quasi gradus ad suam causam revocare poterimus. Falso enim Struempellium (Geschichte der prakt. Philosophie der Griechen I p. 387. 772) existimasse, quod ad infimum quoque civium genus cum alia quae corrigendae disciplinae causa in republica Platonis instituerentur tum illud pertineret quod Ho-

---

[1]) Ueberwegius Grundrifs I p. 155 non infert nisi ideae boni in tribus illis, anima, civitate, mundo conspicuae mentionem, iustitiam omittit. Sane optimi species ea est quae virtutes omnes salutares ac fructuosas reddat (cf. VI 505 A), sed trium animi et civitatis partium conspirationem iustitiam, non bonitatem esse docetur IV 443 D.

merus ex ea eiceretur, ne opificum quidem condicionem in reformanda educatione philosophum neglexisse iam dudum viri docti viderunt (cf. Zeller p. 770). Quamquam Krohnio mirum videtur (d. pl. St. p. 39), cum rectae educationis vis ad bene honesteque vivendum plurimum valere saepe (IV 425 D alibi) dicatur, eam tertio ordini ne minimum quidem adhiberi, ita ut postea vix intellegatur unde temperantiae (*σωφροσύνης*), quae ei una virtus imputetur, compos esse possit. Sed ne tenuissima quidem disciplina licebat opifices agricolasque imbui, cum cognata haberent et in animo *τὸ ἐπιθυμητικόν*, quod non doctrina atque eruditione, sed reliquis animi facultatibus coercetur, et in mundo res sensibus subiectas a vera cognitione alienas. Superior vero custodum ordo, cuius id perhibetur munus ut principum mandata exsequatur, consimilis est, si animum spectamus, irae, si totum mundum respicimus, ei parti quae animis continetur. Atque ut *θυμός* cognatus quidem et propinquus rationi, ratio vero ipsa non est et ut animus quamquam ideis simillimus dicitur, nequaquam tamen cum eis congruit, sic custodes quoque, quorum praecipuum in eo versatur officium ut quae principes urbi fore salutaria sperent contra inimicas opificum cupiditates persequantur ac perficiant, cum tertio ordine potiores, primo inferiores sint, debent quidem eruditione institui, qua fabri et cultores tota carent, sed non ea qua reges informantur. Hi enim, ut eandem similitudinem persequamur, quoniam sunt in eodem quo *τὸ λογιστικόν* et ideae honore, vera rerum cognitione potiri debent, ut aeternis iusti bonique et omnis virtutis formis diligenter perspectis rempublicam civesque ad eas componere ac moderari studeant. Quorum cum milites adiutores tantum ministrique sint, non egent ipsa qua illi excellunt philosophia, sed hoc potissimum eorum eruditione appetitur ut ad continentiam oboedientiamque et ad fortitudinem excolantur. Quare instituuntur gymnasticis et musicis artibus, quibus apparet eos non ad perfectam virtutem, quippe quae in sola sapientia versetur, posse evehi, sed ad mediocrem illam et vulgarem et in opinione vera (*ὀρθὴ δόξα*) positam.

Eis quae adhuc explicavimus si non iam dubium relinquitur quin reipublicae exemplar in primis Politiae libris effictum aptum sit e doctrina idearum, quo concesso utique dissolvi Krohnianam de

Republica gradatim composita opinionem necesse est, profecto liceret hic quaestioni finem imponere, nisi superessent etiam diiudicanda quaedam a Krohnio et Kunerto (Quae inter Clitophontem dialogum et Platonis Rempublicam intercedat necessitudo. Diss. Gryphisw. 1881) de nonnullis Politiae locis aut secum aut cum toto libri argumento parum consentientibus disputata, quae quamvis parvi esse momenti credamus (sunt enim praeoccupata mente nec libero iudicio scripta), tamen, ne manca evadat et imperfecta oratio, non videntur esse silentio praetermittenda.

Praeclare enim, ut mihi videtur, statuit Zellerus (p. 470), vir cum universae philosophiae graecae tum imprimis Platonis intellegentissimus, Politiae extrema (X 608 C sq.) eis quae in principio disserantur non solum aptissime convenire, sed etiam quodammodo significari atque praeparari. Unde enim tota de iustitiae vi disputatio capiat initium, ut Cephalus senex solum iustum tranquille quieteque esse diem supremum obiturum affirmet, eodem cunctis civilibus moralibusque quaestionibus peractis oratio cum revocetur, in libro decimo (inde a 614 B) proponi illam grandissimam extremi post mortem iudicii imaginem quo iusti summae felicitatis praemio afficiantur, iniusti atrocissimis delictorum poenis crucientur. Quem primorum cum postremis conexum reputantes vix esse quod diffiteamur Platonem opus suum ut unum et omnibus partibus aptum ac conexum iudicari ac legi voluisse. Neque id quod ad refutandum Zellerum dicit Krohnius (d. pl. Fr. p. 129): 'Ich könnte gerade angesichts dieser Ansichten über die jenseitige Vergeltung auf III 386 B aufmerksam machen, wo dem Hades die Furchtbarkeit abgestritten und sein Preis gefordert wird, während das X. Buch in der Schilderung seiner traurigen Qualen schwelgt' probare possumus. Neque enim II 386 B de suppliciis tormentisque Tartaro abiudicandis cogitatur, quippe quae custodibus ut piis iustisque hominibus omnino non sint timenda, sed de locorum terribili foedaque specie, de qua cum certi nihil explorari possit (cf. II 378 B. 382 D. III 391 E. 408 C), vetantur poetae inutilia verba facere quae custodibus vanum terrorem iniciant. Quod ita esse docent loci ex Homero laudati, qui sunt omnes eiusmodi ut ad unum Tartari turpem tristemque visum pertineant, de poenarum atrocitate omnino taceant.

At vero, inquit Kunertus (p. 25), etsi ultimus primum respicit librum, tamen non necesse est, cum Plato initium Politiae componeret, ei iam exitum operis distincte esse obversatum. Quae ratio haud scio an reiciatur, si modo dialogos qui inscribuntur Gorgias et Phaedo quali perorationis argumento utantur paulo accuratius examinaverimus. Nam cum prorsus similiter ac Respublica in fine disputationis magnificam de fortuna cuique post mortem destinata narrationem contineant, non temere ex hac similitudine de Reipublicae exitu videtur iudicium fieri. Cum igitur Phaedo dialogus in animi natura atque immortalitate versetur, Gorgias hoc praecipue propositum habeat ut non voluptatem (quae ratio erat sophistarum), sed solam virtutem esse bonum ideoque omnium maxime colendam atque appetendam evincatur, nonne et in illo rei expositae maxime est consentaneum quod fatum animos humanos, quos esse immortales iam demonstratum est, corporibus deletis maneat uberius explicare, in hoc autem ullusne orationi poterat aptior imponi finis quam quo ad honesti studium, quod praeter omnia amplectendum esse confirmatum erat, homines impellerentur? Neque aliter in Republica. Eius enim summa cum in eo posita esset ut iustitiae ratio et utilitas exploraretur, qui poterat tota quaestione peracta iusti studium hominibus enixius ac gravius commendari quam clarissima illa iudicii extremi, quod nemo effugere posset, imagine ante oculos posita? Itaque Platonem, cum Politiae scribendae initium faceret, quid in fine operis collocaret nondum animo constituisse non magis assensu approbare cogimur quam idem de Phaedone et Gorgia concedimus. Et licet finem ei in initio obversatum esse certis causis evinci nequeat, contrarium non magis potest.

Sed Platonem cum scriberet non semel ait Krohnius (d. pl. Fr. p. 6) mutavisse consilium. Nam cum primo iustitiam iniustitiamque in eadem republica indagare velit, deinde, ut iniustitia emergat, malam condendam esse civitatem dicat, tamen eum ne hoc quidem facere, sed de compluribus exponere urbibus male administratis, unde luce clarius appareat haec consilia deinceps in mente philosophi sensim esse nata. De quo ut certius iudicari possit, necesse est locos quibus de iustitia et improbitate in civitate investiganda mentio fit omnes in unum conferri. Sunt autem

hi: II 369 A. 371 E. 372 E. 376 D. IV 420 B. 427 D. 443 C. Quos ubi inspexerimus, dubium fortasse erit an Krohnio assentiamur. Profecto enim quae Plato ante IV 420 B de instituto suo memorat ita comparata sunt omnia ut iustitiae et iniustitiae in eadem civitate simul exquirendae consilium prae se ferant. Quod IV 420 B repente immutari videtur. Relicta enim ratione iustitiae et iniustitiae in una urbe investigandae duas civitates diversas proponit, quarum ex altera eaque quam optima iustitiam, ex altera pessima improbitatem repetere constituit. Hoc igitur Krohnii iudicium videtur confirmare. Sed non paulum miramur philosophum IV 427 D de improviso ad superius consilium reverti, cum Glauconem admoneat ut auxilio adiutus sermonis sociorum acriter circumspiciat in civitate iustitiam et iniustitiam ubi sint. Quod Krohnium fugisse neque plus semel Platonem videri consilium mutavisse suum quamquam vidit iam Kunertus (p. 28), tamen errat in eis quae addit. Concedit enim Krohnio verba Socratis IV 420 B C *ᾠήθημεν γὰρ ἐν τῇ τοιαύτῃ μάλιστ᾽ ἂν εὑρεῖν δικαιοσύνην καὶ αὖ ἐν τῇ κάκιστα οἰκουμένῃ ἀδικίαν, κατιδόντες δὲ κρῖναι ἂν ὃ πάλαι ζητοῦμεν. νῦν μὲν οὖν, ὡς οἰόμεθα, τὴν εὐδαίμονα πλάττομεν, οὐκ ἀπολαβόντες ὀλίγους ἐν αὐτῇ τοιούτους τινὰς τιθέντες, ἀλλ᾽ ὅλην· αὐτίκα δὲ τὴν ἐναντίαν σκεψόμεθα* cum superioribus pugnare. In quo parum perpendit quod adiectum est *μάλιστα*; neque enim philosophus in tali civitate qualem oratione finxerit meram inesse iustitiam ac virtutem, iniustitiam ac flagitium omnino abesse contendit, sed eam omnes quae sint aut cogitari possint civitates virtute ac probitate longe superare, ut perfecta iustitiae species in nulla clarius atque evidentius perspici queat. Nimirum nisi in ea aliquantum etiam improbitatis et intemperantiae emergeret, custodibus qui ad libidinis immodestiaeque lasciviam compescendam instituti sunt otium esset sine dignitate fruendum. Sed cum iniustitia in pessima civitate multo magis quam in optima cernatur, quamquam ne ex hac quidem plane exstirpata est, nemo certe philosopho iure exprobraverit quod praeter opinionem iniustitiae illustrandae causa improbam civitatem proponat eamque iustae optimaeque ex adverso constituat. Neque enim a priore ratione ita discedit ut in civitate ante descripta et iustitiam et iniustitiam simul esse

neget; nec scriptoris est, simulatque ad scribendum se accinxerit, universam libri quod sit confecturus materiam minutatim mente concipere ac discribere (nemini enim, etiamsi uno tenore scribat, non multa necopinata in mentem incidunt), dummodo, ubi ad singula quaeque explicanda accesserit, disputationis ordinem paucis definiat. Quamobrem ne id quidem Krohnio concedimus Platonem parum sibi constare in postremo libro quarto quattuor iniustitiae genera distinguentem, cum antea unum appellaverit. Profecto enim illa Platoni non ante erat in suas partes dividenda quam ad eam rem tractandam revera pervenisset.

Nec iustius idem in eo offendit quod philosophus, cum statim (*αὐτίκα δὲ τὴν ἐναντίαν σκεψόμεθα*) sese optimae contrariam civitatem expressurum esse pollicitus sit, tamen huic promisso demum octavo libro (inde a VIII 543 D) satisfaciat. Namque ea est prioris loci sententia ut Plato non confestim et sine ulla mora se illud facturum dicat, sed, cum primum optimam civitatem perfecerit (*νῦν μὲν οὖν τὴν εὐδαίμονα πλάττομεν . . . . αὐτίκα δὲ τὴν ἐναντίαν σκεψόμεθα*), statim ad iniustam pergere sibi proponat. Quod promissum absoluta de iustitia oratione in eodem libro quarto (445 A B C D E. 449 A) impleturus est, cum ab Adimanto et Glaucone interpellatus eorumque adhortationibus permotus ad bonorum et mulierum communionem certius confirmandam transgreditur.

Sed revertamur ad IV 420 B. Ut iam dictum est, philosophus IV 427 D ad prius institutum regreditur, ita ut malae civitatis descriptio duobus locis interposita sit qui iustitiam et iniustitiam uni simul urbi attribuant. Quod sane dignum est diligenti animadversione. Kunertus quidem ea re movetur ut IV 420 B C, ubi disputatio libro octavo nonoque instituta tamquam praesumatur, postea demum orationi insertum ducat atque eadem de causa totum etiam librum octavum et nonum posteriori aetati tribuat (p. 29).

Ut autem tota quaestio in clariore luce collocetur, diligenter mihi videtur attendendum esse duas omnino res Platoni ad illustrantum propositas esse, quarum altera iustitiae improbitatisque vi ac ratione continetur, altera ad utriusque felicitatem aut miseriam spectat. Et prior quidem de natura iusti et iniusti quaestio

unius civitatis exemplo, quae utrumque simul continet,[1]) explicatur, ad quam omnes loci supra enumerati praeter unum IV 420 B C referendi sunt. Ad exitum vero haec disputatio pervenit IV 443 C D. 444 A B, ubi et iustitiae et iniustitiae definitio ex eiusdem civitatis imagine repetitur. Longe vero alia est loci IV 420 B C sententia ac ratio. Nam cum ceteri ad prius argumentum pertineant, ut iustitiae et iniustitiae naturam quaerant, hic totus versatur in utriusque aut felicitate aut miseria, quae est altera ad disputandum proposita quaestio. Etenim Adimanto, custodibus arbitranti duriorem vitam minusque felicem quam pro officiorum multitudine ac difficultate praescribi, Socrates respondet non ideo ab ipsis condi civitatem ut unus aliquis civium ordo praeter ceteros beatus fiat, sed ut universa civitas quam maximam felicitatem consequatur; in tali enim republica, quae sit optime administrata ac beatissima, videri se sibi facillime iustitiam inventurum, in male autem curata ac miserrima (hoc enim subaudiendum esse contextus docet[2]) iniustitiam; tum profecto sponte appariturum esse quod iam diu quaesiverint, utra utri utilitatis ac beatitudinis fructu antecelleret.

---

[1]) Non assentimur Krohnio (d. pl. Frage p. 6) Platonem, cum scribere coeperit, civitatem naturae convenienter nascentem et mediocriter administratam depingere voluisse, scribentem vero sensim eo delapsum esse ut optimam enarraret urbem. Quamquam enim iustitiam et iniustitiam in eadem civitate exprimere vult, tamen cum perfecta iusti species non possit nisi a civitate optima et iustissima (a qua tamen ne iniquitas quidem omnis abest, ita ut iustitia explorata haec quoque possit qualis sit perspici) repeti, profecto efficitur ut ab initio Platoni absolutae civitatis exemplar obversatum sit. In qua constituenda quod II 372 E proficiscitur ab ea quae relicto naturali statu tamquam effervescit et a nativa simplicitate discedit (*τρυφῶσα πόλις*), satis certe dici potest quare id ita fecerit. Nam cum civitatem, ut supra ostendimus, ad hominis similitudinem effingeret, sane opus erat, etsi iustam urbem adumbrabat, primum illud civium genus constitui quod cognatam haberet indolem ei animi parti quae cupiditatibus contineretur (*ἐπιθυμητικόν*).

[2]) *Ἐροῦμεν γὰρ ὅτι θαυμαστὸν μὲν ἂν οὐδὲν εἴη, εἰ καὶ οὗτοι οὕτως εὐδαιμονέστατοί εἰσιν, οὐ μὴν πρὸς τοῦτο βλέποντες τὴν πόλιν οἰκίζομεν, ὅπως ἕν τι ἡμῖν ἔθνος ἔσται διαφερόντως εὔδαιμον, ἀλλ᾽ ὅπως ὅτι μάλιστα ὅλη ἡ πόλις. ᾠήθημεν γὰρ ἐν τῇ τοιαύτῃ μάλιστα ἂν εὑρεῖν δικαιοσύνην καὶ αὖ ἐν τῇ κάκιστα οἰκουμένῃ ἀδικίαν, . . κατιδόντες δὲ κρῖναι ἂν ὃ πάλαι ζητοῦμεν. νῦν μὲν οὖν, ὡς οἰόμεθα, τὴν εὐδαίμονα πλάττομεν . . . . αὐτίκα δὲ τὴν ἐναντίαν σκεψόμεθα.*

Itaque cum in beata civitate iustitia, in infelici improbitas maxime appareat, sponte sequitur, cum civitas sit amplior quaedam hominis effigies, ut in homine quoque fortunato sibique concordi iustitia, in misero secumque ipso discordi iniustitia exsistat, vel, ut inverso ordine dicamus, iusti atque honesti studium felices homines reddat, iniusti pravique summam eis pestem inferat.

Atque haec quidem si recte aut saltem probabiliter disputata sunt, nostro iure iam videmur contendere locum illum IV 420 B C, quem modo explanavimus, spectare quidem ad octavum nonumque librum, sed falso posteriori tempori a Kunerto adscribi. Nam ipso sermonis cursu ad eum oratio devenit, et si e principali, ut ille vult, Reipublicae forma tolleretur, procul dubio non solum octavus et nonus libri postea demum ad opus accessisse, sed ipsa etiam illa II 357—368 a Glaucone et Adimanto varie copioseque dicta quibus Socrates adducitur ut in fructum et utilitatem iustitiae inquirat (II 367 E) omnia posteriore tempore libro de optima civitate scripto inserta essent, ita ut denique de iusti vi et natura quaestio suo ac proprio fine omnino destitueretur. Nec vero Kunertus tam pravum de eis quae IV 420 B C leguntur iudicium fecisset, nisi ipsum Politiae argumentum et propositum plane neglexisset. Qui cum ad VIII 545 A: *πῶς ποτε ἡ ἄκρατος δικαιοσύνη πρὸς ἀδικίαν τὴν ἄκρατον ἔχει εὐδαιμονίας τε πέρι τοῦ ἔχοντος καὶ ἀθλιότητος* haec adnotat (p. 31): 'Oblitusne est Plato proprium dialogi consilium? *Ἐπιθυμῶ γὰρ ἀκοῦσαι τί τ' ἔστιν ἑκάτερον καὶ τίνα ἔχει δύναμιν αὐτὸ καθ' αὑτὸ ἐνὸν ἐν τῇ ψυχῇ, τοὺς δὲ μισθοὺς καὶ τὰ γιγνόμενα ἀπ' αὐτῶν ἐᾶσαι χαίρειν* saepius initio libri secundi Glauco monuerat. Unde advolant repente felicitas atque miseria? Mutatur totius libri consilium' etc., aperte quid Platoni quaerere propositum sit omnino nescire convincitur. Namque iustitiae utilitatem commodumque ac felicitatem inde oriundam id ipsum esse quod quaeratur perspicue dicitur II 368 C *ὅ τε οὖν Γλαύκων καὶ οἱ ἄλλοι ἐδέοντο παντὶ τρόπῳ βοηθῆσαι καὶ μὴ ἀνεῖναι τὸν λόγον, ἀλλὰ διερευνήσασθαι τί τέ ἐστιν ἑκάτερον καὶ περὶ τῆς ὠφελείας αὐτοῖν τἀληθὲς ποτέρως ἔχει* (cf. II 367 D E. 368 A C. alibi).[1] Cui proposito certe nullo modo officit quod

[1] Idem (p. 36) in libro decimo (612 B) quod quaestione de iusti et iniusti natura et utilitate peracta Socrates praeterea etiam praemia atque honores ho-

illi bonam hominum existimationem et cetera externa iustitiae praemia ab oratione Socratis procul abesse volunt, quoniam iustitiae et improbitatis non is fructus quem apud homines utraque sit habitura exquiritur, *ἀλλὰ τί ποιοῦσα ἑκατέρα τὸν ἔχοντα αὐτὴ δι' αὑτὴν ἡ μὲν κακόν, ἡ δὲ ἀγαθόν ἐστιν. τὰς δὲ δόξας ἀφαίρει, ὥσπερ Γλαύκων διεκελεύσατο* (II 367 B).

Cum autem octavum et nonum librum a primo Platonis scribendi consilio prorsus abhorrere Kunerto persuasum esset, perfacile nimirum poterat evenire ut etiam priorem illum locum IV 420 B C ad eandem rem pertinentem orationis contextui adversari eique postea inditum a Platone esse statueret. Quam opinionem quoniam iustis causis destitui superioribus probare conati sumus, ne illud quidem hic adiungere erit inutile, nihil esse quod philosophum magnopere mireris in media de natura iustitiae disputatione data occasione alterum attingere libri argumentum. Nam cum primariam esse quaestionem de utilitate iustitiae atque ideo tantum eius naturam ac rationem investigari, quo clarius atque evidentius illa eluceat, identidem explicetur (II 367 E alibi), nullo certe modo potest offendere quod philosophus iam, antequam ad principalem de honestatis utilitate locum accessit, mentem cogitationemque eo opportunitate usus convertit.

Restat de qua in hac parte dicatur alia Kunerti causa. Qui cum (p. 31) non inepte, ut mihi videtur, in sexto et septimo libro iustitiae fructum vel, ut ipse dicit, opus, quod felicitate scilicet ac beatitudine e iusti honestique studio redundante continetur (cf. VII 541 A B), enucleari dicat, restare putat in quod inquiratur opus

---

nestis a deis hominibusque obtingentia in disceptationem vocet, Glauconis et Adimanti adhortationem saepius repetitam: *μισθοὺς τε καὶ δόξας πάρες ἄλλοις ἐπαινεῖν* neglegi ac vitium contra artem et elegantiam committi dicit. Quod minime reprehendere debuit. Etenim crebrae illae duorum iuvenum admonitiones eo spectant ne virtutis praestantia dumtaxat externae utilitatis emolumentique copia ex ea redundante censeatur, felicitatis vero ac beatitatis abundantia quam omissis hominum opinionibus per se ipsa sui studiosis afferret contemnatur. Cum autem demonstratum esset iustitiam propria natura et indole sua salutem hominibus quam maximam, iniustitiam perniciosissimam pestem afferre, tantum aberat ut externa quoque earum aut commoda aut damna describere divini operis arti ac compositioni ullo modo officeret, ut nullus profecto orationis finis ad philosophi consilium esset accommodatior.

iniustitiae. Quod nequaquam fieri; immo uter sit beatior, iustus an iniustus, denuo quaeri (VIII 543 C). Denique hac ad finem perducta disputatione eam inveniri libri octavi nonique summam ut iniustus iusto dicatur multis partibus esse infelicior (p. 35).

Sed quid velit amplius non intellego equidem. Profecto enim si non id dicitur iustitiae aut iniustitiae opus ut altera beatos, altera miseros homines reddat, qui alius earum potest effectus inveniri? Itaque his quidem omissis ad reliquam disputationem illius examinandam progredimur.

Nam quintum quoque librum a principali Reipublicae proposito et argumento alienum esse atque inter ceteros satis incommode postea interiectum censet (p. 33). Quem ita iudicantem quamquam in aperto est, cum paulo ante (p. 26) libros II—VII a Krohnio secunctos quasi unum corpus efficere atque adeo aeneo inter se vinculo nexos esse concesserit idemque p. 37 et 29 constanter repetat, a se ipsum non mediocriter dissidere, tamen quibus rationibus sententiam suam stabiliat quidque de eis existimandum sit paucis videamus.

Itaque ille a loco IV 420 B C, de quo iam ante diximus, profectus non hunc tantum statuit posterioris temporis esse, sed idem valere ad totum primum, in quo inveniatur, libri quarti caput (p. 29). Qui cum sic incipiat: *Τί οὖν, ὦ Σώκρατες, ἀπολογήσει, ἐάν τίς σε φῇ μὴ πάνυ εὐδαίμονας ποιεῖν τούτους τοὺς ἄνδρας* (sc. *τοὺς φύλακας*), *καὶ ταῦτα δι' ἑαυτούς, ὧν ἐστι μὲν ἡ πόλις τῇ ἀληθείᾳ, οἱ δὲ μηδὲν ἀπολαύουσιν ἀγαθοῦ τῆς πόλεως οἷον ἄλλοι κτέ.*, valde sibi videri probabile iudicium libri fecisse quempiam, cuius refutandi causa Plato haec alteri editioni inseruerit. Quod ut opinaretur profecto nunquam esset adductus, nisi falsum de IV 420 B C E iudicium proxima quoque suspecta reddidisset. Sed illud quam sit leve ac vanum cum et iis quae antea diximus sponte appareat, tum V 453 iuvat allegare, quo loco Socrates eodem fere modo adversariorum argumenta quibus ipsius rationem oppugnare possint in medium affert, ita ut illorum partes suscepisse videatur.

Quod si probabiliter disputavimus, ne hoc quidem Kunerto concedendum est, quae V 465 E disserantur a Socrate: *μέμνησαι οὖν, ἦν δ' ἐγώ, ὅτι ἐν τοῖς πρόσθεν οὐκ οἶδα ὅτου λόγος*

ἡμῖν ἐπέπληξεν ὅτι τοὺς φύλακας οὐκ εὐδαίμονας ποιοῦμεν, οἷς ἐξὸν πάντα ἔχειν τὰ τῶν πολιτῶν οὐδὲν ἔχοιεν; ἡμεῖς δέ που εἴπομεν ὅτι, τοῦτο μὲν εἴ που παραπίπτοι, εἰσαῦθις σκεψόμεθα, νῦν δὲ τοὺς φύλακας φύλακας ποιοῦμεν, τὴν δὲ πόλιν ὡς οἷοίτε εἶμεν εὐδαιμονεστάτην, ἀλλ' οὐκ εἰς ἓν ἔθνος ἀποβλέποντες ἐν αὐτῇ τοῦτο εὔδαιμον πλάττοιμεν, quia superiorem locum modo memoratum respiciant, et ipsa postea a Platone inserta esse. Atque hic quidem ille iterum pugnantia loqui convincitur. Nam cum locum hunc posteriorem atque etiam totum librum quintum a primo Platonis consilio scribendi alienum esse idcirco posuerit quia ad quarti libri initium referatur, tum rursus existimat talis pollicitationis qualem fecisse sese Socrates simulet, ut alio tempore in custodum statum atque condicionem se inquisiturum promitteret, in libri quarti exordio nullum inveniri vestigium. Unde ei patere videtur ideo tantum haec verba scripta esse ut eandem rem (sc. custodum felicitatem) iterum a se tractatam esse defenderet. Quod quidem tantum abest ut sit ullo modo nobis probatum, ut contra persuasum habeamus, hoc si voluisset philosophus, eum orationem fuisse ita conformaturum ut omnem locorum qui inter se referrentur discrepantiam evitaret. Facillimum enim erat aut posteriore loco omittere promissum aut priori addere. Au credimus philosophum non meminisse aut curasse quid antea scripsisset?

Sed fieri nullo modo potest quin, ubi ea quae IV 420 B C leguntur diligentius examinaverimus, Platonem revera illo loco indicasse existimemus se custodum fortunam postea aestimaturum esse. Etenim cum Socratem sic loquentem inducit: *ἐροῦμεν γὰρ ὅτι θαυμαστὸν μὲν ἂν οὐδὲν εἴη, εἰ καὶ οὗτοι οὕτως εὐδαιμονέστατοί εἰσιν,* etsi non aperte se uberius de ea re expositurum esse pollicetur, tamen facile posse accidere ut illud ostendatur haud obscure significat; neque omnino recusat eam quaestionem, sed, cum ante omnia id agi dicat ut tota urbs quam felicissima sit, differri tantum videtur. Praeterea etiam hoc commemorandum est, in illis (V 465 E): *ἡμεῖς δέ που εἴπομεν ὅτι τοῦτο μέν, εἴ που παραπίπτοι, εἰσαῦθις σκεψόμεθα κτέ.* et vim pollicitationis nonnihil extenuari adiectis 'si forte occasionem nacti erimus' et verbum *εἴπομεν* hoc loco, id quod ex adiecto *που* cognoscitur, fere in putandi vim abire (nostrates: 'wir meinten, wollten sagen'), ita

ut philosophus ipse se ita potius sensisse quam locutum esse indicet. Quae cum ita sint, V 465 E posterioris temporis esse nulla re comprobatur, quo demonstrato simul totus liber quintus a Kunerti suspicione vindicatus est.

Pergamus igitur ad ea quae Krohnius in eandem sententiam protulit. In quibus examinandis minus curare licet quae contra aptam libri VIII et IX cum VI et VII coniunctionem atque cohaerentiam disputavit, quoniam haec iam supra verborum quae IV 435 D leguntur interpretatione maximam partem videntur reiecta esse. Nam cum librum VIII et IX ideo post V—VII a Platone compositos esse neget quia idearum nullum in eis sit vestigium, argumentis, opinor, comprobatum est philosophum ab operis initio idearum notitiam habuisse. Quod ut de octavo et nono etiam clarius intellegatur, quae in eis ad ideas spectant breviter perlustremus.

Atque ut omittam initio octavi (543 A) in optima republica reges dici *τοὺς ἐν φιλοσοφίᾳ τε καὶ πρὸς τὸν πόλεμον γεγονότας ἀρίστους* ipsamque absolutam civitatem degenerare atque corrumpi propterea quod philosophiae studium parvi ducere incipiat (VIII 548 B C), ipsam profecto animi partem potissimam quae ratio dicitur in una essentia versari certissime, ut nulla esse dubitatio possit, multis locis affirmatur. Hos autem revera ad ideas pertinere quo certius cognoscatur, eos ita afferemus ut cum singulis similes quosdam e VI vel VII libro, in quibus solis illam doctrinam Krohnius posuit, petitos conferamus.

Itaque Plato, ubi delectationem mentis et cogitationis in veri rationem intentae cum reliquarum animi virium, irae et cupiditatis, voluptatibus comparat eamque illis multo potiorem ac nobiliorem esse docet, ita disputat IX 581 B: *Ἀλλὰ μὴν ᾧ γε μανθάνομεν παντὶ δῆλον ὅτι πρὸς τὸ εἰδέναι τὴν ἀλήθειαν ὅπῃ ἔχει πᾶν ἀεὶ τέταται*, et paulo infra: *Τὸν δὲ φιλόσοφον, ἦν δ' ἐγώ, ποιώμεθα τὰς ἄλλας ἡδονὰς νομίζειν πρὸς τὴν τοῦ εἰδέναι τἀληθὲς ὅπῃ ἔχει καὶ ἐν τοιούτῳ τινὶ ἀεὶ εἶναι μανθάνοντα*, et non multo post (582 A): *Πότερον ὁ φιλοκερδής, μανθάνων αὐτὴν τὴν ἀλήθειαν οἷόν ἐστιν, ἐμπειρότερος δοκεῖ σοι εἶναι τῆς ἀπὸ τοῦ εἰδέναι ἡδονῆς ἢ ὁ φιλόσοφος τῆς ἀπὸ τοῦ κερδαίνειν;* quae quidem omnia ita comparata sunt ut aperte doceant

propriam mentis virtutem rerum veritate, id est ideis, contineri. Atque ipsam veritatem (αὐτὴν τὴν ἀλήθειαν) in Politia modo cum essentia vel ideis modo cum earum scientia fere congruere frequenter sane in duobus libris proxime antecedentibus apparet, velut VII 525 C ψυχῆς μεταστροφὴ ἀπὸ γενέσεως ἐπ' ἀλήθειάν τε καὶ οὐσίαν, 526 B αὐτῇ τῇ νοήσει χρῆσθαι τὴν ψυχὴν ἐπ' αὐτὴν τὴν ἀλήθειαν, 537 D ἐπ' αὐτὸ τὸ ὂν μετ' ἀληθείας ἰέναι, 525 A ἀγωγὰ πρὸς ἀλήθειαν (cf. 526 B. 533 A).

Deinde quod mentem ὅπῃ πέφυκε τὰ ὄντα μανθάνειν IX 582 B atque τὴν τοῦ ὄντος θέαν habere philosophus dicit ibid. C, eundem summum atque extremum finem rationi propositum in anterioribus quoque duobus libris esse persaepe dicitur, ut VII 529 B μάθημα ὃ ἂν περὶ τὸ ὄν τε ᾖ καὶ τὸ ἀόρατον, 524 E ὁλκὸν ἐπὶ τὴν οὐσίαν (cf. VI 501 D. 505 D. VII 529 B. 533 B), quibus locis omnibus τὸ ὂν vel ἡ οὐσία idem est quod ideae; neque minus quae veri contemplatio nominatur (ἡ τοῦ ὄντος θέα) in superioribus appellatur similiter (cf. VII 532 C ἐπαναγωγὴ . . . πρὸς τὴν τοῦ ἀρίστου ἐν τοῖς οὖσι θέαν et VII 526 E. 527 E. VI 500 C).

His omnibus consideratis manifesta et expressa reconditioris doctrinae vestigia in octavo et nono libro inveniri vix infitiaberis, ac ne Krohnius quidem hoc ita esse negavit, sed difficultatem inde suae sententiae oborientem ita expedire studuit ut illa posteriore tempore a Platone interposita esse coniceret (d. pl. St. p. 220). Quam suspicionem cum vir doctissimus certis causis non firmaverit, nolumus in ea diutius versari, sed statim ad similem locum non multo posteriorem (IX 585 B. C) convertamur, quem ad essentiam et ideas non minus pertinere contendimus. Hic enim Plato rationis ideas contemplantis oblectationem veriorem atque ampliorem vilibus corporis voluptatibus esse, quam eandem sententiam etiam antea (IX 581 D E) eum tetigisse supra diximus, ita exponit et stabilire firmius studet ut veram opinionem, scientiam, intellegentiam, denique virtutem, quae sint animorum ingeniorumque naturale quoddam quasi pabulum, plus in se habere veritatis (μᾶλλον ὄν) quam cibum, potum, alia corporis alimenta (ἧττον ὄν) dicat. Deinde sic pergit: τὸ τοῦ ἀεὶ ὁμοίου ἐχόμενον καὶ ἀθανάτου καὶ ἀληθείας καὶ αὐτὸ τοιοῦτον ὂν καὶ ἐν τοιούτῳ γιγνόμενον μᾶλλον εἶναί σοι δοκεῖ ἢ

τὸ μηδέποτε ὅμοιον καὶ θνητοῦ καὶ αὐτὸ τοιοῦτον ὂν καὶ ἐν τοιούτῳ γιγνόμενον; Quae quamquam procul dubio ita sunt comparata ut *τὸ ἀεὶ ὅμοιον καὶ ἀθάνατον καὶ ἀλήθεια* nihil possit intellegi aliud quam vera essentia quae ideis continetur, tamen Krohnius (d. plat. Fr. p. 107) eam interpretationem improbans hoc imprimis in contrariam partem affert quod, cum nullo verbo absoluta exsistentia a relativa vel *τὸ ὂν* a *τῷ γιγνομένῳ* discernatur[1]), nullam ille locus cum libris V—VII, quorum illa sit propria distinctio, necessitudinem aut cognationem habeat. Sed longe secus res se habet. Nam cum Plato proxime antea *τὸ δόξης τε ἀληθοῦς εἶδος καὶ ἐπιστήμης*[2]) commemoraverit, illa autem ad relativam, haec ad absolutam essentiam pertineat, oblique etiam duo haec essentiae genera designavit. Atque haud scio an *τὸ τοῦ ἀεὶ ὁμοίου ἐχόμενον*[3]) *καὶ ἀθανάτου καὶ ἀληθείας* ad veram opinionem, quippe quae veritatem etsi non habeat, tamen certe sequatur, *αὐτὸ*[4]) *τοιοῦτον ὂν* ad ideas, *ἐν τοιούτῳ γιγνόμενον* ad veri scientiam spectet. Quod autem Krohnius *τὸ ὂν* et *τὸ γιγνόμενον* non discerni dicit haec adnotans: 'Das *αὐτὸ τοιοῦτον ὂν καὶ ἐν τοιούτῳ γιγνόμενον* zeigt, dafs er über das Werden noch ebenso unverfänglich dachte wie am Beginn', verba Platonis parum perspexisse convincitur, quippe quibus nihil aliud declaretur quam veri cognitionem veri sive idearum contemplatione nasci (*ἐν τῷ τοιούτῳ γιγνόμενον*). Veritatis autem notitiam non ab initio esse, sed aliquo tempore percipiendo et comprehendendo oriri ne Krohnius quidem negabit. Quo concesso nullam moram interponimus quin hunc quoque locum statuamus

---

[1]) L. c. Sie (die Namen) erinnern auch weder an das V, noch an das VI u. VII Buch, d. h. weder an den Unterschied der absoluten und relativen Existenz, noch an den des Seins und Werdens.

[2]) Quod adiungit *τοῦ νοῦ* et *δόξαν* et *ἐπιστήμην* complectens universe intellegentiam sive mentem significare videtur.

[3]) *ἔχεσθαί τινος* apud Platonem persaepe significare 'constanter sequi' multa exempla ab Astio (Lexicon Plat.) collecta docent. Cf. Leg. 709 C *τῆς ἀληθείας ἔχεσθαι,* Gorg. 499 B. de Rep. X 621 C *τῆς ὁδοῦ ἀεὶ ἑξόμεθα,* Leg. IV 716 A alia multa.

[4]) Si quis ante *αὐτὸ τοιοῦτον ὂν* et *ἐν τοιούτῳ γιγνόμενον,* quoniam tria hoc loco distinguantur, *τό* desideraverit, articulum ita prae ceteris scriptoribus graecos frequentissime a Platone omitti docet Kueger Griech. Gram. § 58, 2, 1.

ostendere librum octavum nonumque ab idearum doctrina haudquaquam alienos esse.

Sed restant alia quibus quo vinculo libri V—VII cum prioribus iungantur manifestum fiat. Ac primum quidem Krohnius cum Platonem principale quod de republica opus composuerit quattuor confecisse libris putet, eam disputationem qua principum institutio de integro tractatur (inde a VI 502 D) non satis quadrare censet ad ea quae III 412 B — 414 A de principum eruditione ac disciplina exposita sint (d. pl. St. p. 126). Quippe nullum ait in prioribus libris inveniri vestigium quo accuratiorem etiam principum eruditionem secuturam esse eluceat. Sed non animadvertit Platonem in priore disputatione (III 414 A) se de civitatis rectoribus postea definitius dicturum expresse significasse his verbis: *Τοιαύτη τις δοκεῖ μοι ἡ ἐκλογὴ εἶναι καὶ κατάστασις* (Auswahl und Aufstellung) *τῶν ἀρχόντων τε καὶ φυλάκων ὡς ἐν τύπῳ μὴ δι᾽ ἀκριβείας εἰρῆσθαι.*[1]) Nempe haec principum institutio cum nulla parte custodibus potior sit, sufficere non potest. Quae si sufficeret, profecto comparatio illa quam Plato in IV libro inter hominem et rempublicam instituit non leviter vacillaret et claudicaret. Tum enim accideret ut ratio, immortalis animi vis, ab ira et cupiditate, mortalibus illis, multo maiore intervallo distaret quam reipublicae rectores, si victus atque educatio spectatur, a militibus imperio suo subiectis, quorum intervallorum hoc etiam cetoroqui illo minus esse Zellerus l. l. p. 768 animadvertit. Verum enim vero si Platonem illa inter se ita comparavisse ponimus ut principibus progressa disputatione etiam maiorem cognitionis ac virtutis laudem vindicari vellet eamque quodammodo tacite iam anticiparet, multo convenientius et civitatis gubernatores, utpote idearum intellegentes, cum ratione illa divina, et milites, quos gymnastica et musica arte excultos fortes ac modestos esse decet, cum ira cupiditates coercente animoque parente conferuntur quam si hi duo civitatis ordines educatione parum inter se differrent.

---

[1]) Parum recte Krohnius contradicit: 'Es folgt nicht eine *κατάστασις τῶν ἀρχόντων*, sondern eine *κατάστασις τῆς τῶν ἀρχόντων παιδείας.*' Nam qua ratione viri idonei quibus reipublicae gubernaculum committatur comparari possint nisi assidua ac diligenti earum rerum quarum periti esse debent eruditione ac disciplina nemo certe dixerit.

Denique philosophus VI 502 D, ubi quaestio de principibus denuo suscipitur, dicit se ad eam partem reverti absolvendam quam ante imperfectam ac mancam reliquerit, quod quidem nihil est cur ei non credamus. Causam morae hanc affert: *Οὐδὲν τὸ σοφόν μοι ἐγένετο τήν τε τῶν γυναικῶν τῆς κτήσεως δυσχέρειαν ἐν τῷ πρόσθεν παραλιπόντι καὶ παιδογονίαν καὶ τὴν τῶν ἀρχόντων κατάστασιν, εἰδότι ὡς ἐπίφθονός τε καὶ χαλεπὴ γίγνεσθαι ἡ παντελῶς ἀληθής· ν῀ν γὰρ οὐδὲν ἧττον ἦλθε τὸ δεῖν αὐτὸ διελθεῖν.* Novitatem rei et invidiam et difficultatem commemorat etiam in principio libri quinti, ubi Glauconi et Adimanto, instantibus ut de mulierum bonorumque communione aliquando pluribus dicat, haec respondet: *Οἷον εἰργάσασθε ἐπιλαβόμενοί μου! ὅσον λόγον πάλιν ὥσπερ ἐξ ἀρχῆς κινεῖτε περὶ τῆς πολιτείας! ἣν ὡς ἤδη διεληλυθὼς ἔγωγε ἔχαιρον, ἀγαπῶν εἴ τις ἐάσοι ταῦτα ἀποδεξάμενος ὡς τότε ἐῤῥήθη. ἃ νῦν ὑμεῖς παρακαλοῦντες οὐκ ἴστε ὅσον ἐσμὸν λόγων ἐπεγείρετε, ὃν ὁρῶν ἐγὼ παρῆκα τότε, μὴ παράσχοι πολὺν ὄχλον.* Noluit igitur philosophus in describenda republica optima, ne videlicet argumenti simplicitas ac perspicuitas perturbaretur, duas res illas et plane inauditas invidiaeque plenas et ob eam rem magna comprobandi diligentia egentes aliter ac brevi perstringere et summatim exponere, id in animum inducens ut divino illo reipublicae aedificio exstructo copiosius eas tractaret. Unde consequens est Platonem, id quod ante pluribus contra Krohnium defendimus, statim post quattuor libros Reipublicae primos ad eam disputationem aggressum esse quae libro quinto sexto septimo continetur.

